6
106 b 6.

GRATULATIO

ACADEMIÆ CANTABRIGIENSIS

DE PACE

Serenissimæ REGINÆ

ANNÆ

AUSPICIIS

FELICITER CONSTITUTA

Anno MDCCXIII.

6

CANTABRIGIÆ,
TYPIS ACADEMICIS.

AD

REGINAM.

MAXIMA Reginarum, Europam quæ facis orbis,
Europæ Britonas quæ facis una decus,
Jam tibi maturos offert victoria fructus,
Jam tibi magnorum maximus annus adeſt:
Ægide depoſita meditatur mitior artes
Pacis, & inſervit tota Minerva tibi:
Otia miratur tellus tranquilla, tumultu
Inſano nuper fervere cuncta videns.
Interea auguſtam frontem ſine nube ſerenat
Lætitia, atque ſuum comprobat autor opus;
Sic rerum informem pulchro Deus ordine molem
Diſpoſuit, tenebris elicuitque diem,
Laudavit factum confirmans; lumine riſit
Naturæ facies exhilarata novo.

En

GRATULATIO

En Regina ſecat vacuos Claſſis tua fluctus,
Et late regnis imperat æquoreis.
Divitiaſque ſuas tibi vectigalia ſolvit
Omniparens Tellus, Oceanuſque Pater.
Jam neque tot Juvenes Britonum floremque decuſque
Torquent purpureis Scaldis & Iſter aquis.
Illo venales minus ah placuere triumphi
Sanguine, non tanti Gallia tota fuit!
At vos illuſtres tangant nova gaudia manes,
Jam pretium veſtræ Patria mortis habet.

Tu vero O Britonum decus immortale, profundi
Vindex, Europæ numen, & Orbis amor!
Certatim quamvis properent tibi plaudere Reges,
Gratantum & turba ſplendeat aula frequens;
Ne tamen ô tenuem Muſæ averſeris honorem;
Quos fundit faciles officioſa modos
Accipe; ſed placido vultu, quo turbida placas
Bella, & jam poſito fulmine mitis ades.

J. ADAMS, S. T. P.
Coll. Regal. Præpoſitus
PROCANCELLARIUS.

DUM effusa Gentes & populos super
Procella stridit Turbine bellico,
Amansque cæsorum cruorem
Immodico bibit ore Campus,
Inter tumultus tuta quieverat,
Et prœliantum Fulmina Gentium
Britanna tellus, quam fovebant
Dî faciles & Amica Princeps.
Cui vix rependat digna, Britannia
Parum recepti Conscia Muneris,
Cernensque Pacem restitutam
Insolitum nihil intuetur.
O Quæ beatam protegis Angliam
Belli audiens jam Pacis & Arbitra,
Tuis secunda adsis Britannis,
Neu solitis careant Triumphis,
Dignere nobis consilium & Tuos
Præbere Divos: Quos populos manu
Jamjam efficaci dissipatos
Numine non sine vidit Orbis,
Rursus videbit non levioribus
Palmis revictos; Gloria nam pares
Accendit Æstus, & Minerva
Fortem animum monet esse doctum.
Politiorem noveris Angliam,
Dum vena dulcis divitis ingenî,
Ceu Flumen ingens nunc apertis
Latius exspatiatur arvis:
Florebit almæ Nobilis artibus
Cultæque Pacis. Queis dedit Ægide
Terrere sæva, perspicaci
Mente dabit superare Pallas.
Fas æqua suadens nudaque Veritas
Stabunt diserto jam comites Foro,
Longeque pellet pejeratum
Pœna premens caput usque Vindex.
ANNÆ loquentis verba valentia
Attentus Orbis devorat, auribus
Fixisque Gentes differentem, &
Attoniti stupuere Reges.

Gratum eloquuta Belligerantibus,
Hoſtilis Orbis protinus efferas
Componit iras, diſcrepantes
Fœdus amicum iniere Gentes.
Muſas amantis Gloria Belgiæ
ANNAM perenni Carmine conſecrat,
Cui debet aſſurgentem honorem
Imperii decus & recepti.
Illam peruſtus ſolibus Africæ
Captivus orat, ſervitii inſolens;
Eous Orbis, nec potentem
Occiduus reticebit ANNAM.
Novit ſupremam Te Rhodanum bibens,
Et Regna ſupplex bis Bavarus fugax
Te rapta poſcit, quem fefellit
Ambitio & maleſuadus error.
Tuque ANNA Phœbeæ æmula Lampadis
Spargis favores prodiga regios,
Nec parca ſperatum petenti
Auxilium meditaris Orbi.
Feliciori tempora ſtamine,
Regina dixit, currite; candidis
Horæ quadrigis, Tuque Phœbe
Volve dies meliore curru.
Regina dixit: protinus aureum
Ridetque ſæclum. Gratior it dies
Blandum refulgens; lætiori
Cuncta tuens micat ore Phœbus.
Almæque Pacis Filia Fauſtitas,
Fides & ulnis ſplendida lacteis
Terras reviſit, quas ſinuque
Copia ſubſequitur feraci.
Qualis Miniſter Fulminis Angelus,
(Cui nube vecto dextra ſonantibus
Armata flammis, torquet ignes
Purpureoque rubet Triumpho,)
Placata cæli cum ira cadit ferox,
Triſulca ceſſat mittere fulmina,
Et volvit orbem deſtinatum
Luce nitens Bonus auſpicata.
Turbata dudum pandit amœnior
Natura vultus, & facies nova

Pacis ſacramento quietum
Dirigit in meliora mundum.
Pacem ut Britannis perpetuet Deus
Tutare vitam O ANNA Tuis Tuam,
Si publicarum cura rerum
Poſſe dabit Tibi Te vacare.

Antonius de Grey, Comes de *Hærrold.*
Illuſtr. Ducis de *Kent*, Filius natu
maximus. Ex Coll. Trin.

Ad REGINAM.

O Decus, O Rerùm Columen, quas dicere grates,
Quaſve referre parem, Divina Principe, dignas?
Seu Pacem, ſeu Bella geras, felicibus æque
Uteris auſpiciis, cumulataque Gaudia ſpargis.
Crediderat quondam Rex Gallicus affore tempus,
Quo totum occiduum ſua ſub juga mitteret orbem:
Scilicet oblitus Wilhelmi, neſcius ANNÆ,
Nondum fœmineo aſſuetus dare terga flagello;
Nunc animum vultumque gerens (mutatus ab Illo)
Longe alium; Erroris veniam, Pacemque precatur;
Accipias, Regina, humilem Quem feceris, atque
Officiis vincas iterum, Quem viceris Armis.
Non Sceptris nunc Ille tuis, non invidet Aulæ,
Non Juvenem oſtentat, mentita ſtirpe ſuperbum:
Hæc olim Lodoix. Senio nunc fractus & Armis,
Si Requiem, Pacemque ferat, nihil amplius ambit;
Finibus antiquis contentus, cætera curæ
Commendat, Regina, tuæ. Tu Gentibus æquas
Arbiter imponas Leges, & Fœdera firmes.

Car. Gul. Howard, *Henrici* Comitis
de *Suffolcia* & *Bindon* Filius natu
maximus. Coll. D. Magd.

Ad

GRATULATIO

Ad REGINAM.

O ANNA, Europæ dum Tu miſerata laborem
Bellonam mulces tumidam, effrænemque furorem
Fœminea reprimis dextra, cohibeſque Catenis,
Æratoque fores occludis Cardine Jani;
Siſte parumper opus magnum precor, & tibi lingua
Fatidica bifrons promittit quæ Deus audi.
" Salve magna Parens pacis; te, Diva, Salutat
Te Dominam agnoſcit Janus; nunc ecce lubenter
ANNA, tuo admonitus claudenda in templa recedo.
Sed prius, O Regina, tuos mihi dicere fas ſit
Quid maneat, quid fata ferant Volventibus annis:
Nam licet hos oculos in longum extendere, nec quæ
Mortales hebetat Viſus circumvolat umbra.
En gentes inter ſublime Britannia tollit
Læta caput, facilique manu prætendit olivam.
Stant illæ attonitæ, & divinum munus adorant:
Dum dubitant tanto quales pro munere grates
Perſolvent, merito certe par gratia nulla eſt;
Sed dare quod poterunt felix feret ANNA; beatam
Confluet ad Thamiſis ripam, & ditabit Arenas
Quicquid terra boni quævis alit; hæc dabit aurum
Hæc pictas veſtes, hæc Bacchi munera, quicquid
Aut profert tellus, aut inter viſcera condit.
Et jam plena ferunt Anglorum carbaſa venti
Indiæ ad extremas oras, & littora dives
Alluit aſſiduo quæ Ganges fervida ſole.
Hoſpitibus Junget pubes ſe nuda Britannis,
Scire omnes ardent quæ cauſa advexerit; ANNÆ
Attoniti geſta ediſcunt, & nomen adorant.
Sole ſuo majus numen regnare fatentur
Quod foveat terras, & late lumina ſpargat.
Sed nec dum memoro fœcundæ commoda pacis
Reflexum ſpectare piget quid lapſa tulerunt
Sæcula, & ingentes belli revocare triumphos.
Flandriacos video rorantes ſanguine campos,
Multaque per ſterilem diſperſa cadavera terram.
Hic victi fugiunt Galli, fugientibus inſtat
Anglia quam nutrit pubes invicta, Britannum

Quæ

Quæ decus extendet, vel morte occumbet honeſta.
Illuſtres animæ! ſic vos promittitis orbi
Pacem, ſic lauro ramum felicis olivæ
Inſeris ANNA parens; carpent tua poma nepotes.

Philip. Dormer Stanhope, Aul. Trin. Filius
Natu Max. Honoratiſſ. Dom. *Stanhope*
Filii Comitis de *Cheſterfield.*

INVENTRIX Oleæ duris quoque præſidet Armis,
Multuſque ex duplici munere ſurgit honos;
Et ſic, ANNA, Tuæ Tua Laurus certat Olivæ
Sertum det capiti pulchrius utra Tuo.
Palma Tibi, magna ſed non ſine Clade Tuorum,
Victori Populo flenda, Tropæa tulit:
Paci aſcribe, Tuo quod nutu Europa quieſcit,
Regna quod arbitrio daſque adimiſque Tuo.
Sic memoranda ſui Victoria Perſeos armis
Palladis addiderit Gorgona, inane decus:
Arcis Cecropiæ imperium non Palma, nec Ægis
Picta, dedit; germen Pacis, Oliva dedit.

Franciſcus Willoughby, A. M. Coll. Jeſ.
Honoratiſſimi Domini *Thomæ* Baronis
de *Middleton*, Filius natu Maximus.

Ad REGINAM.

CUR Britonum intrepidæ deponunt arma Cohortes?
Et referunt nullis jam ſigna ornanda Tropæis,
Cur procul a patria longe lateque jacentes
Per noſtras urbes, fataliaque hoſtibus arva,
Securus graditur Gallus, cur tutus Iberus?
Siccine degenerant Angli, ſic maſcula cedunt
Pectora, quæ toties Gallos domuere Superbos?
Non Pallas præſto eſt, nec juſſi Numine amico,
Arma ſtatim renuunt, & pacis fœdera jungunt?
Hoc totum, ANNA, tuum eſt, Hominum tu Diva ruinas
In terris prohibes; Gentes dextraque potenti
Firmas; tu mulces animos in bella ruentum,

GRATULATIO

Unica graſſanti & poſuiſti fræna furori.
Talis ubi gelido cum forte aſpexit in Hæmo
Prælia ſpirantem, & meditantem pectore bellum,
Mavortem Cytherea Venus; Mars ceſſat, & haſtam
Ponit humi, mollitque iram ſub corde latentem.
Quis Regina tuas Pompas, quis rite Triumphos
Enarrare queat, nutantem vertice toto
Fulciſti Europam; dum Galli damna gementes
Ad Pacem defeſſa tuam ſua Brachia tendunt;
Ergo licet celebrare choros & ſolvere vota
Talia quæ repetens læti vox conſonet Orbis.
Vivas, ANNA, diu Pacis redimita corona
Gallia quam ſupplex aufert; cedantque futuris
Præterita ut ſtupeant miracula tanta Nepotes.

Johannes Trevor, Filius natu Secundus
Thomæ Baronis de *Bromham*, C. C. C.

UT vidit Albas, omen amabile,
Rupes Britannas Aſcanii Nepos,
Genti Giganteæ propinquans,
Non ſine Dîs animoſus Exul;
Regina Cypri (ſic Druidæ canunt,
Viſco adſidentes, Credite poſteri)
Arcana fati ſciſcitata,
Extulit os Cytherea ponto,
Confeſſa Numen; qualis aquas levi
Concha ſecabat vecta, recens Mari
Exorta, naſcentemque Divæ
Nereïdes ſtupuere Divam.
En regna quondam, Brute, ait, in tuum
Itura nomen, ſanguis ubi tuus
Noſterque Neptuni tenebit
Perpetua ditione campos.
Hoc bellicoſæ fata Britanniæ
Hac lege ſpondent, Imperio maris
Contenta terreſtremque Martem
Oderit, & peregrina bella.
Crimen parentis, Progenies mea,
Gradivi amorem ſæpe lues, tibi
Nobiſque fatalem, & triumphis
In mediis peritura planges.

Artes

Artes Salubres Pacis erunt Tuæ,
Florebit illis artibus Albion,
  Magnoque reſponſa expetenti
    Jura dabit Minor Orbis Orbi.
Hac arte ſeris ANNA Nepotibus
Promiſſa, fama vincet avos nova, &
  Europa Reginam Britannûm
    Compoſitis colet omnis armis.

Thomas Willoughby, Coll. Jeſ. Honoratiſſimi Domini *Thomæ* Baronis de *Middleton*, Filius natu Secundus.

Ad REGINAM.

QUÆ modo funereos, Academia, ſolvit honores
  Conſorti, ANNA, Tuo, ſacramque ad Principis Urnam
Mœſta parentavit lugubri carmine, geſtit
Vertere lætabunda modos, alacriſque Cupreſſum
Triſtem in paciferam mutari gaudet olivam;
Speramus quod dum circumſonet undique plauſus
Aulæ, Urbis, tota exultet Brittannia, noſtros
Miſceri, Regina, etiam patiere triumphos,
Muſarum & tenues non dedignabere cultus.
  Exoptata diu requies poſt tædia belli
Dura decennalis rediit, Pax alma reviſit
Deſertos Britonas, pleno jam copia cornu
Angliacas placidis oras circumvolat alis;
Arma ſat attonitæ gentes ſtupuere, ſecuta eſt
Te Dominam indivulſa comes Victoria, Marte
Quid valeas, Princeps, plus ſat docuere tot urbes
Expugnatæ, arces disjectæ, diruta caſtra,
Gurgite purpureo teſtatur & Iſter adauctus,
Tabo pinguenteſque tui, Ramillia, campi;
Debitam at innumeris metam poſuiſſe Triumphis,
Invictos frænaſſe animos, ſpreviſſe tuorum
Largiter effuſo quæſitas ſanguine lauros,
Arbitram & Europæ toti præſcribere Pacem,
ANNA, Tuum eſt, ingenſque Tui eſt ea Gloria Regni;
Ne quid reſtaret vincendum, denique Victrix
Ipſa Tui es, Victis facilis clementia parcit;

Quos

GRATULATIO

Quos dudum viciſti armis, quos fulmine belli
Terrueras, miti jam Majeſtate ſerenas.
Auſpiciis, Regina, tuis felicior ætas
Hinc ſubit, annorum & procedere pulchrior ordo
Incipit, atque paras Templum dum claudere Jani,
Templa tua En! Pietas reſerari plurima juſſit;
Hæc tibi erunt ſtatuæ, laudum & Monumenta tuarum
Æterna, aſſiduis reſonabunt atria votis
Sacra hæc, ut populo interſis longæva Britanno,
Lætificis oleæ frontem redimita corymbis,
Integram & ad ſeros Pacem miſſura nepotes.

Car. Maynard, A. M. Chriſti Coll.
Honoratiſſimi Domini *Banaſteri*
Maynard Baronis de *Eſtaines*,
Filius Natu Quintus.

ANNÆ *Britannicæ, Victrici Pacificæ.*

LONGUM eſſet Numerare Tuos, Diva ANNA, Triumphos,
Ad Scaldim, Rhenumque, Iſtrum, Perque Æquora late:
Sed Meminiſſe dolet, quia Te Geſſiſſe Tropæa
Hæc, Victrix Luget Pietas, Viciſſe Coacta,
Sanguinis humani Parca, & vix Criminis Ultrix;
Jamque Triumphorum Satura es, Deſcende Curuli,
Teque Hominem memor eſſe, ſtudens dare Gentibus, Unam
Da Pacem, Populoque Tuo, Sociiſque Perennem.
Coram aderat, Solium Magna ſtipante Corona,
Gens ſupplex, flexoque genu, Te dira minantem
Conſpexit, vultuque acri prope Caſtra Moventem,
Ducturamque Tuas Penetralia ad Intima Turmas:
Sic tandem Exorſa eſt: Parce Invictiſſima Princeps,
Parce Orbi: Quæ meta Tuæ, Quis Terminus Iræ?
Jam Viciſſe ſatis — Pudet hæc Opprobria Gallis
Vinci uſque — At laus ſi qua manet, Viciſſe Britannis
Et Solis Viciſſe datur, ſoliſque Tueri,
Una ſalus Victis a Te ſperare ſalutem.
Dixit, & ancipiti Vultu Quæ Fata manerent
Horreſcens, Pronum obducto Caput abdidit Oſtro.
ANNA, & ad hæc Placido Ore Nitens, Vultuque Sereno:
Et Proſtraſſe Satis, ſatis eſt Quod Conſcia Iniqui,

Nunc

Nunc Recti ſtudioſa velis tua Pacta tueri:
Surge ait, & Speres Jubeo, Hoſtile Omne Fatentem.
Ecce Thronum Aſcendit, Sceptro & Diademate Fulgens;
Reginam inde Triplex ſtat circum Gratia, *Seymour*
Bot'lera, & *Maſſam*; Atque Has inter Amabile Lumen
For'ſteræ, *Slingsbæque* Decor, Quatuorque Sorores,
Nymphæ Pacis Amicæ, Animis Formaque Veniuſtæ.
Ite ait, & Genium Imperii, huc ad Publica Noſtra
Conſilia accerſite, Virum, quem Mitia ſemper
Delectant ſtudia hæc, Pacique atque Artibus apta;
Hic finem imponet Bello, Juſtoque Furori
Harleius dabit, Illi Juſſa capeſſere fas eſt.
Adſit & *Harcourtus*, Quis Promptior Arbiter Æqui?
Accerſite *Raby*, mittendum ad Fœdera *Strafford*,
Firmum Animo, Blandumque loqui, fideque ſagacem.
Pacificumque Virum, & Divini Vatis olivam,
Digni equidem Majore & Primis ſedibus Apti.
Nota Fides *Dartmouth*, Multi Vigileſque Labores
Bolingbroke, Tui; Veniant Suadere Periti
Concilii Præſes *Buck'ngham*, *Powletque* Palati.
Ite & Utramque *Domum*, Vocat Hos Mera Gratia Patres;
Ore Sagax *Bromley* eſt, Lingua Suaviſſimus *Hanmer*.
Mittendus cum Claſſe *Hill* eſt, Cuſtoſque Tenendæ
Dunkirkæ, Hæc Moles Belli, nunc Pignora Pacis;
Et *Talbot* Gaudere dabit, Quos Terruit Olim.
Dilecti Omnes! --- Europæ Æqua Lance rependent
Quod Juſtum eſt, Habeantque Meas Nova Fœdera Leges,
Vindice Me, & Galli Bellum, Meque Auſpice Pacem.
Dixit: & Extemplo Lex Cladi, Pax data Bello.
ANNA diu Regnet --- Dedit hæc Ter Maxima Princeps
Bellum Unum, Pacemque Unam, Unos eſſe Britannos,
Deliciæ, Populique Salus, ANNA Arbiter Orbis.

Nath. Lloyd Miles,
Aul. Trin. Cuſtos.

GRATULATIO

NON galeas, *Jeſû*, non enſes, *dogmata* poſcunt;
Vix *paſſa* innocuas arma tenere manus;
Tranquillos da Chriſte dies; nec ad horrida bella,
Protinus erumpat conſcia turba mali.
Dic age, *pacifici Domini* cur nomen adorant;
Quêis volupe eſt, pacem non voluiſſe datam?
Hoc ipſe optarem; miſeris contingat abunde
Alma quies: Nobis ſit quoque pace frui.
Obſequium ex animo grati perſolvimus ANNÆ,
Quæ ſtudet Angligenas tot cumulare bonis.

Hen. James, Sac. Theolog. Profeſſ. Regius
& Coll. Regin. Præſidens.

ANTIKEIMENA.

Eclog. Script. Calend. Jan. 1710.

TITYRUS *hæc olim.* Me terque quaterque Beatum!
En mea cara domus, ſub clivo proxima Fonti,
Parvula, ſed ſatis ampla meis, nitet intus & extra;
Aerios caſus ſine labe & ſuſtinet omnes,
Ventos, & Soles, hybernaque frigora, & imbres.
Exiguum colo rus, ſed Amœnum, Fertile, Noſtrum;
Splendida maturis ſeges arva coronat ariſtis,
Et rident multo veſtiti gramine campi;
Pingueſcunt pecudes, fluit ingens copia lactis
Quæ teneros fœtus & Menſis aptat & Aris.
Nec deſunt oleæ, nec ſunt ſine vitibus ulmi.
At ſuprema meæ Fortunæ gaudia complet
Nocte dieque placens Uxor, pars altera vitæ;
Quæ multa & pulchra & vera me prole beavit.
Res omnes agimus ſocio conamine noſtras,
Exemplar pueris Ego factus, & Illa puellis.
Et Muſam, quam Nos modulamur voce, ſuſurro
Ad mulctram famulæ, famulique ad raſtra ſequuntur.
Penſum ſic hilares facileſque abſolvimus omnes;
Moribus antiquis aurato vivitur ævo.
Tityrus hæc hodie. Quis me infelicior extat!
O Bellum, Bellum! Immane, Execrabile Monſtrum!

Eume-

Eumenidum in Thalamis, furiatis Anguibus ortum,
Atque venenata Sanie taboque refertum!
Quid Sceleris noſtri, Quæ læſi Numinis Ira
Te tetris ſepto tenebris traduxit ab Orco
In lucem ætheriam? & Peſtem Exitiumque creavit
Humano generi terraque marique paratum?
Vertitur in cineres Domus, & ſpecioſa ſupellex;
Omnia nunc patimur ſine tecto Incommoda cæli;
Cumque dies totos curis vexamur amaris,
Cogimur inſomnes ſine lecto ducere noctes.
Non Aper has ſegetes, pecudes non torva Leæna,
Non fera Tigris oves, nec ſanguineus Lupus hœdos
Devorat; hæc rebus levis eſt injuria noſtris;
Sævius his animal, Miles, (furibundus & atrox,
Quem Furiæ informant noſtri ſub corporis umbra,)
Irruit in meſſes; & equus detondet ariſtas,
Et paſſim pedibus perdit, queis ore pepercit.
Unum non hædum, ſolam non abripit agnam,
Sed totos ubicunque greges, armentaque ab agris
Et ſtabulis abigens in prædam colligit unam.
Omnia devaſtat quo fert rabioſa voluntas;
Diruit, Incendit, Lacerat, non dente vel ungue,
Sed rigido, quo mille modis certiſſima mortis
Inſtrumenta facit, Ferro populatus & Igne
Et Tonitru; Monachus quod dicitur inveniſſe
Diſcipulus Jovis inferni, Jovis æmulus alti.
Aut vacuis famuli famulæque vagantur in agris
Cum gemitu & lacrymis, & veſte ciboque carentes;
Militis extorres aut pompam & caſtra ſequuntur.
Quæ mala, quam rabiem proles cariſſima paſſa eſt,
Viva Mei miſeri Præcordia, Matris ocelli?
Hic perit in cunis impaſtus, & alter in ulnis
Cum nutrice cadit gladio; qui grandior ævo eſt
Vel turpi Domino, vel vili ſervit Amicæ.
Quid teneræ mutæque metu cum Milite Natæ?
Vel prece vel pretio quæ non ceſſere, Puellas
Vi rapit imbelles, veluti lupus efferus agnas.
Parva quid hæc? Reſtat magis immedicabile vulnus.
Uxor! Penelope! quid nomine dulcius iſto?
Dimidium Ipſa Mei! coram! Proh Juppiter Ultor!
Proh ſcelus infandum! Miſero ſolamen at unum eſt
Quod negat amplexus & inexpugnabilis obſtat,

Atque

Atque pudicitiæ conſignat ſanguine famam.
Hei mihi! cui, penitus ſic fractis rebus, eodem
Non paribus fatis ſuccumbere contigit ictu!
Talia plorantem ſecum Melibœus Amicum
Excipit incautum, verbiſque his corripit æſtus.
Tityre nunc ſentis magis Infortunia quid ſunt,
Cædes, atque Fames, cunctiſque in rebus Egeſtas,
Quam cum *caſtaneis & pomis lacteque preſſo*
Laute me tecum ſaturatum nocte tenebas.
Fortunatus eras; at Fortunatus in horas
Æſtimat haud æque Divum vel Dona vel Iras,
Incertiſque oculis aliena pericula cernit;
Expertus ſapis, & credes mihi vera loquuto.
Tune putes alios quod Tityrus unicus omnes
Adverſis ſuperat? dum me graviora ferentem
Spectas? exilio fractum? tot Perditus annos
Qui vixi, Perii potius mihi dicere fas ſit?
Oſſea Forma? vagor ceu Mortis Imago, vel Umbra?
Talibus Europa eſt, nunc tota, oppleta querelis;
Et turbatur agris, turbatur & urbibus; Enſe
Gens furit in gentem, furit ignibus hoſtis in hoſtem;
Sic Alemannus atrox fervet, ſic Gallus acutus,
Italiam hanc, neutri ſociam, populatus uterque.
Deſine jam mecum vanos effundere queſtus;
Nobis tempus erit; ſic rerum vertitur ordo,
Jamque inſtat miſeris; cum ſors arriſerit æqua,
Cumque Adverſa Bonis Fauſtiſque rependerit ample,
Relliquias vitæ aſſiduis ſucceſſibus implens.
* *Pacifici* & *Sancti* Regum, Divina propago,
Heroina potens virtutibus, o Dea certe,
Diſſimiles hominum nata eſt componere mentes;
Alterum & effecit nunc Unum legibus Orbem.
Poſt hæc fauſta domi ſacræ primordia curæ,
Mox noſtrum firmo pacavit fœdere Mundum.
Claſſe, Viris, Armiſque valens, terraque marique
Cuique ſuum tribuit Jus, debellatque ſuperbos.
Tutus es in patria, patriam ſed & Ipſe reviſam
Si libet; & ſiquid reliquum eſt cum pace fruamur.
At fortunatum potius tranemus in *Orbem*;
† Nos vocat ANNA, facitque ſuos; Alimenta, Domuſque,
Præbet Opeſque; ut quiſque ſuam, quam ſcit, colat Artem.

* Jacobi 1*mi*. Carol. 1*mi*. † Sicut nuper dictos *Palatinos*.

Hanc

Hanc ſic ad ſeros tranſmittet Fama nepotes
EUROPÆ MATREM, LIBERTATISQUE PARENTEM.
Incipe nunc animos mecum revocare; parumque
Te dare lætitiæ; Votiſque & Laudibus unum
Hunc celebrare diem, cum nil niſi vota ſuperſint.
Munus ob immenſum, Feſtum meditare quotannis;
Et ſurgat Pietas quantum Fortuna reſurget.
Cumque tuos Divis gratos recitaveris Hymnos
Sæpius hoc, Latio bene notum, interſere carmen;
NULLA SALUS BELLO, PACEM TE POSCIMUS OMNES.

In exploratam Pacem 1713.

FULMINA Marlborii quod non potuere; nec Altum
Pectus, Achilleï Principis, Eugenii;
Non Sceptris junctus Germanus; Belga nec armis
Acrior in Montes; non Sociata manus;
(Scilicet inſanos Belli componere fluctus,
Juſque reclamanti reddere cuique ſuum;)
Numinis id nutu Felix, ſine ſanguine Victrix,
Vivax conſiliis, Anglica Suada poteſt.
Lapſuram nobis *cunctando reſtituit Rem*;
Nempe ſolent multo ſurgere Magna gradu.
Diviſum Imperium, cum Bella moventur & inſtant,
Provida cum rapido Marte Minerva tenet;
Cædibus *Ille* jubet cognatas ſternere terras;
Sanguinis *Hæc* rivos claudere, fata SAT EST.

Joannes Covel, Coll. Chriſt.
Cant. Cuſtos.

ARMA canant alii, & funeſtos ſtrage Triumphos,
Noſtroque Hoſtilique madentes ſanguine Lauros:
At me Pacis amor, Pacatæ & fœdere Gentes
Invitum miſeros cogunt extundere Verſus.
Tu Pacis, Deus, Auctor ades; Paciſque Tuaſque
Laudes Tu præſens faveas placiduſque canenti.
Hæc deſueta diu indoctæ Tibi Carmina Muſæ,
Non tamen ingratæ, nec dedignatus, habebis.
Cum tandem, poſitis, miteſcere ſæcula, Bellis,
Incipiunt, & Pax nos pene ignota reviſit,

Sacraque Chriſtiadum coeunt in fœdera Gentes;
Non Bellator Equus, ſtratos qui proterit Hoſtes,
Non horrenda ferox ardens in prælia Miles,
Quam multum fruſtraque diu exoptavimus unam,
Pace beat. Nimbus veluti demiſſus Olympo
Leniter & pecus, & ſitientes recreat Agros;
Sic tandem vis reſpexit Cæleſtis ab alto
Indignos, certamque dedit poſt Bella quietem.
Haud prædis Rex innumeris ſpoliiſque ſuperbus,
Haud Ductor belli fœdatus ſanguine dextram;
Sed Regina hujus Dux eſt ac Arbitra facti,
Cui Patriæque ſalus cordi eſt, & Relligionis
Sanctus honos: ſolet his unis impendere curam,
Et vetat afflictis miſeros diffidere rebus.
Hanc Deus inſigni ante alios dignatus honore
Partiri in Gentes jubet hæc cæleſtia Pacis
Munera: quæ ſperare aliqui, promittere nemo
Auderet, volvenda Dies en attulit ultro!
Exoptata Bonis cum Lux affulſerat Orbi,
Concilium magnum cogit Regina frequentes
Magnates, Equiteſque, & lectos undique Cives:
Convenere acciti omnes: Medio ipſa Senatu
Paciferæ dextra ramum prætendit Olivæ
Alta ſedens, vultus oculoſque ſerena nitentes;
Pacta refert recolens firmandæ in ſæcula Pacis.
Nulla unquam ullius mulſit Vox gratior aures:
Semper dulce loquens; at nunc divina videri,
Nec mortale ſonans. Grateſque ac Gaudia Patres
Et voce & vultu teſtati. Nec mora, magnus
It Populi clamor læti, volitatque per Urbes,
Perque Agros; reſonant ſilvæque & littora Ponti:
Excipiunt Nautæ ſonitum, & ſuper æthera tollunt.
Dunchercæ rutilas clamoſa ut Gaudia Turres
Attingunt, mediis placide crepitantibus undis;
Altius aſſurgens haud immemor illa vetuſtos
Agnoſcit Dominos, & non ingrata ſalutat.
Qua Conſtantinus domuit Cruce ſtrenuus Hoſtes,
Hac Tu viciſti, Pietate inſignis & Armis
Regina, ac feſſis requiem pacemque dediſti;
Pluſque Tuis Precibus debemus, quam omnibus Armis.
Iſta olim miſeris informis Machina lethi
Quæ fuit, una poteſt hominum lenire dolores.

Non

Non Crux nuda, teres, durumque & fiſſile Lignum;
Unica ſed Chriſti pendentis vivida Virtus.
Nam ſupra & Gemmas Crux alma & Regia ſupra
Sceptra valens, animas perituras ſubmovet Orco;
Imbelles acies, trepidantiaque agmina Martis
Diffugiunt, & ſe Mors ipſa in Tartara condit,
Inque antra exanimes Furiæ interiora recurſant.
Nec mentem ſpes falſa ſubit, nunc affore Tempus,
Quo pleni quondam cecinerunt Numine Vates
Infantes colluſuros circa Aſpidis antra
Illæſos; juxtaque Lupos tibi paſcier Agnos
Impavidos cernes, ſævos interque Leones
Errare Armenta intrepide. Non ipſe cruento
Aut fremet ore Leo, ſurgetve in cornua Taurus.
Haud Tigris rabida, haud nequam vulpecula lædet.
Lethifer agreſtem in falcem curvabitur Enſis,
Haſtæque ac Jacula innocuos vertentur in uſus.
O Tibi tam, Regina, diu modo vita ſuperſit,
Floreat ut Pacis ſtudium, Pietaſque Fideſque:
Diſſidia, iræque abſint; in meliuſque Britannûm
Gens mutata Tuo diſcat traducere Vitam
Exemplo; tantum Tua demum ut facta ſecutos
Moribus emendes, quantum Virtutibus ornas!

R. Jenkin, S. Th. pro D^na^ Marg.
Profeſ. & Coll. Div. Joh. Præfect.

Ad Nobiliſſimum ROBERTUM OXONII *Comitem.*

OXONIO Grantæque faves, ſimul æquus utrique;
Una parat titulos, utraque corda ſoror.
Deliciæ ambarum; contendunt viribus ambæ,
Et res in dubio eſt, hæc ſit an illa prior.
Certamen felix, & non inamabile, cum Te
Diviſum retinent alter & alter amor.
Per Te bella ſilent, per Te laſſata quieſcit
Turba loquax, omni ſævior hoſte, domi.
Pax nimis exul erat, tandem nos læta reviſit,
Inque tuis manibus vimen oliva fuit.
Sit prudens, fortiſque animi, ſit publica cura
Harleius nobis; eſt tamen, ANNA, Tuus.

V. Stubbe, S. T. P. Coll. Trin.

GRATULATIO

Εἰς τὴν Εἰρήνην μεταξὺ Ἀγγλῶν καὶ Κελτῶν & ἑτέρων Δυναμέων βεβαιωθεῖσαν.

Οὐκ ἄδω τὸν Ἄρεα, θεὸν ὄλον καὶ πολίπορθον,
Οὐ τόδε Δαιμόνιον βλαβερὸν, δεινὸν, βεβλοιγὸν,
Ἀνδροφόνον, βλοσυρόν τ', ὐχ αἱμαλέον ἄτον ἀείδω.
Οὐ κλείω ψεύστην, ὑποκρινόμενα, ἠπεροπευτὴν,
Οὐ συγερὸν, φεικλὸν, κακοπερᾴγμονα, κερδαλέον τε,
Ἄγριον, αἰνόταλον, καὶ χέτλια ἔργα φιλοῦντα,
Ὑβριστὴν, ἀπάτηλον, ἀλιτρόν τ' ἠδ' ἀνέρατον,
Δημόβορον τ', ἀκόρητον, ἀτάθαλον, ἀρχέκακόν τε
Μαινόμενον τ', ἀγέλαστον, ἀμείλιχον, ἀγκυλομήτην,
Ἔμπλεον ἠδὲ φόνοιο, δολορραφίῃσιν ἄεισον,
Παντοίας ἀπάτας καὶ μήδεα λυγρ' εἰδυῖα,
Τόν τ' ἀνιηρόταλον, πικρὸν, φθισήνορ', ἀγαυρὸν,
Παρδαλέων τε λύκων ὀλοώτερον ὑκέτ' ἀείδω.
Ἀλλ' ἄδω Θεὸν Εἰρήνης τὸν Παμβασιλῆα,
Δωτῆρ' ἡσυχίης, πολέμοιο καὶ ἐχθρὸν ἀείδω,
Τὸν μὲν ἀλεξίκακον, πολυήρατον, εὔκηλον τε,
Ὄλβιον, ἀάσατον, λιγυρὸν, χαρίεντ', ἐρίπμον,
Περῶντα, ἀποτρόπαιον, καὶ ἐννέα θυμὸν ἔχοντα,
Ἥσυχον, εὐεργόν τ', οἰκτίρμονα, μειλιχιόν τε,
Ἤπιον, εὔθυμον, μαλακόν τ', ἐλεήμονα, τερπνὸν,
Πανάγαθον, γλυκερὸν, σωτῆρα, φιλοφρονέοντα,
Ἵλαον, αἰμύλιον, τρεπτὸν τ', ἀγανόντ', ἐρατεινὸν,
Γηθόσυνον τ', ἐδανὸν, καὶ νήδυμον, ἱμεροέντα,
Τοῦτον ἐγὼ κλείω Πανυπέρταλον Ἀθάναλον τε,
Εἰρήνης ἱερῆς καὶ τ' Φιλότητος Ἐρασήν.

ΕΥΚΤΙΚΟΝ.

Εἴθ' ὄφελον προτέρων Πολέμων Κελτῶν Βρετανῶν τε
Λησμοσύνῃ τε κακῶν προτό τ' ἐόντων ἔμμεναι αἰεὶ,
Ἠδ' Ἀγλῆς πάυσεσθαι ὀϊζυρὸν πολέμοιο
Ἀλλήκτοις ψευδῆς, προτελλομένων ἐνιαυτῶν,
Ὡς ὄφελ' ἡμετέρας χώρας νῦν καὶ μετόπισθε
Εἶναι φυλόπιδος τέλος ἔχαλον, ἠδὲ δύνασθαι
Οὐδὲν Ἐνυάλιον Πολεμὸν θ' εὖδοντ' ἐπεγείρειν.

Νδν ἄρχ᾽, ὦ Βασιλεδ Οὐλύμπε, πᾶσαν ἀϋτλὼ,
Πᾶσαν τ᾽ Ἀγλιγένεαι βίλω δῆειν τε βαρεῖαν,
Λυγρὸν ὄλεθρον ἀεὶ, ἀνδροκτασίας τε μάχας τε,
Νείκεα δακρυόεν᾽ ἔριδας τε ἠ ἄλγε᾽ ἄμυνε.
Ἄμμας, Ἄναξ Ὕψις, ἐξ ἄορ᾽ ὀλομβόιο
Νωλεμέως ῥδσαι, ἀνάλυζον τ᾽, ἠδὲ σάωζον.
Οὐρανίῳ Βαζιλεὺς Εἰρήνλω ἰμερόεσαν
Ἁρμονίλω τε δίδοῖ, ἀκμαίλω Σωθεσίλω τε.
Πάμπαν ὁλόκληρον πέλοι Ὄρκιον ἠδὲ Τέλειον,
Καὶ τότ᾽ ἀνήλειπλον ἠ ὁ παλινάγρελον εἴη,
Πάντοτ᾽ ἀκίνλλον, ἐς ἔμπεδον ἄῤῥηκτόν τε,
Ἀιδίαις γενεαῖς, μεγάλοιο Θέοιο ἔκηλι.
Οὕτως Μδσάων χορὸς εὔχε᾽ ἐκ Χάμοιο.

Johan. Edwards, S. T. P.
Coll. D. Joh. quondam Socius.

מלכת סבא בת מלחמה
קשת הכושית על ידה
לשלמה מלך באת לראות
כל טובתו וארמונות

לטעם בינה רחכמתו
יסוד שלום במלכותו
שומעת רב ורב חוזה
משמועת בעירה

מלך צרפת בר מלחמה
מלכת שלם פקד חנה
לטעם צדק ומאויב
לסור ביתו נאמן אוהב

שלום בעיניו לא יפה
קודם קדחתה מיד חנה
כלי מות אובד כלם
ואסור הוא חבלי שלם

מלכת סבא כתלמידה
רת אלוהית שבה ביתה
מלך צרפת עם השלום
חק משידות צרפה לתום

פן כנרקה המצרי הוא
לעוג לועג ענות יוסף
תמצא ים סוף רודף לנו
לך בשלום ואל תוסף

GRATULATIO

DUM belli paciſque æquato examine Lances
Suſtinet, & varias penſitat ANNA vices;
Ne bellis oppreſſa gemat, neu pace ſiniſtra
Amittat proprium terra Britanna decus:
Ecce novo ætherius fulgens e ſidere Conjux
Solatur dubiam fata futura canens.
Sat bellis Martique datum, ſat ſanguinis hauſit
Haſta pii; Ingenium mitius, ANNA, Tibi eſt.
Dum ſumptis potius ſpes ſuccurrebat in armis,
Noſtræ etiam huic decori conſuluere manus.
Libera quid referam fato Bruxella ſupremo
Machina cum volucres miſit in aſtra globos?
Quid Bavarum exutum caſtris, pudibundaque late
Jugera deſerti mille vacaſſe ſoli,
Tum fruſtra revocaſſe ſuos; monteſque rogatos
Umbras tam claræ non habuiſſe fugæ?
Quid trepidum celſa memorem Bufleron ab arce
Arma ſua in proprium verſa timere caput?
Me duce jampridem commiſit tot fera Victor
Prœlia Borbonias vertere clarus opes:
Dum verti expediit libram in ſublimia raptam,
Jam novus everſam eſt reſtituiſſe labor:
Ne vergat nimis hæc, ſurgat neu fortius illa,
Cura Tua eſt; æquas poſtulat iſta manus.
Sola potes, Patriumque Tibi eſt ſuccurrere rebus,
Et jura armatis ponere litigiis.
Juſtitiæ nova majeſtas Tibi cogit utroſque
Cedere, ſeque Tuis tradere conſiliis.
Quem pudeat? Tibi Quis non affectaverit ultro
Vel poſcente magis porrigere, ANNA, manus?
Gloria dum abſolvit Dextræ ambitioſa potentis
Cedendi pravum dedecus, atque metum.
Depoſitis odiis coëunt in fœdera Gentes
Unica, queis Unam eſt Te timuiſſe Salus.
Hand ſecus intonuit celſa cum Jupiter Ida,
Commune armatos miſit in obſequium.
Ceſſit amor ferri; abjuratæque rapinæ;
Et gravis acceptis Legibus ira fremit.
Fœmineæ ſenſit tandem grave pondus habenæ,
Celticus & didicit terror habere modum.

Sed

Sed Tua quam late dederint tormenta ruinas
Dicere, erat ferreî ſcilicet oris opus.
Hæc decora, has laudes Pietas Tua moribus ultrò
Condonat, prior & relligionis amor.
Juſtitia ut mores, pietas ut deſerat aras,
Credo, Tibi haud tanti vincere ſemper erat.
Quanquam adeo haud exoſa manus victoria veſtras;
Sed generi humano parcere palma prior.
Cuncta Tibi proviſa: Laboribus utere porro
Alma trahens terræ divitiaſque maris.
Hic vigil aſtriferum cuſtos ego veſter Olympum
Mortali poſita conditione colo.
Sorte etiam mihi Pontus: Ero Neptunus in undis,
E cælo Caſtor ſidera certa dabo.
Immenſum fundes radianti lumine circum,
ANNA, diem; Noctes & mea cura reget.
Inferiora Maris me vindice numina Claſſes
Ducent ſeu Glaucus, ſeu Melicerta Tuas.
Sive Tibi Hiſpanos, ſeu Phœbum Claſſis utrumque
Luſtrabit, Cronias ſeu Tua curret aquas.
Sive metalliferas Auſtri rimabitur oras
Et velis rores combibet aureolos.
Quacunque illa vago curſum dabit æquore, Pacem
Firmabit populis, & Tibi jura maris.
Terrorem ſparget, Britonumque armata triumphos
Qua gravis horrendis navigat imperiis.
Albion ante alias felix ſecura procellæ,
Nympha in ſecreto pumice lenta ſedes.
Hoſtibus, atque avidis minus opportuna Tyrannis
Quæ niſi Pegaſeis non adearis equis:
Tu latus æquoribus ſuccincta fidelibus altum es;
Perfida ſint aliis, ſi modo fida Tibi.
Tuta diem ſpera; fulvas Pax aurea meſſes
Et Tibi mala hortus parturit Heſperius.
En Tibi diſpenſat conſtantia fata regitque
ANNA eadem ſemper, ſemper & ANNA regat.

Phil. Bouquet, S. T. &
Ling. Sanct. Profeſſ.

Ad

GRATULATIO

Ad REGINAM.

AUSPICIIS, Regina, Tuis, poſt tædia Belli
(Qualia non Priſcis nota fuere Viris)
Pacem, exoptatam precibus votiſque, peractam
Jam tandem agnoſcunt Subdita Regna ſuam;
Quæ mediis Furiis lateque ſtrepentibus Armis,
Te norunt miſero conſuluiſſe Gregi,
Miſſis jam Curis alienis, ut ſibi plaudunt,
Et facile exultant Te propriore frui!
Hoc, Regina, Tuis ſpondet Res ipſa, Deuſque
Maximus, Eximia quem Pietate colis.
Ut Tibi adunatas *diviſa Britannia* Vires
Debet, & affectus debeat *Una* ſuos;
Quos ſi quæ Bonitas poterit ſibi vincere, lenis
Strictura Imperii, aut Relligionis honos,
Quis vetet ut poſſint pariter coaleſcere, Cives
Ut poſſint gratas reddere quiſque vices?
Quas niſi præſtiterint, *duo maxima munera Cæli*
Reginam & Pacem pro nihilo eſſe volunt.
Quin longum pereant, Tibi qui periere; ruinæ
Sit ſtudioſa ſuæ Gens malefida Tibi.
Dum Tibi nulla Pium Pectus *Sacra peſtis* adurat,
Pax Tua Te regnis, ſoſpitet, ANNA, Tuis.

Guil. Thackham, S. T. P.
e Sen. Soc. Coll. Regal.

ANNA duas Gentes (queis Magna Britannia nomen)
Uniit, unitas & regit ANNA duas.
Imperiis regit Una æquis; Hanc Gallia vidit
Dictantem populo Jura Fidemque ſuo;
Vidit & Obſtupuit: Morum dulcedine captus
Sic Lodoix regitur, ſic regit Ille ſuos.
Quanta potes, Princeps! quid non ſperemus ab ANNA?
Anglia tota Tua eſt; Gallia tota Tua eſt.

Joannes Exton, LL. D. Aul. Trin. Soc.

De

De Pace.

QUÆ peſtis Bello magis eſt Epidemica? Bellum
Sævit in Auſtriacis, ceu peſtis Ephemera, campis;
Innumeros homineſque & equos una abripit hora:
Flammis continuis validas mox impetit urbes;
Fulgure, fulmine conturbatur & intus, & extra,
Inque vices furit & miteſcit ferreus imber.
Paſſibus haud lentis fas eſt obrepere mortem,
Ictu oculi pereunt una Dominique Domuſque.
Mox chronici paſſim populos preſſere dolores,
Torpor, dira fames, & rerum turpis egeſtas,
Contra hæc quid valeant medicorum pharmaca? tantum
Quantum ferratis *pilulas* impingere portis.
Ipſe pater rerum Dominus vitæque neciſque,
Qui ſedat rapidas terraque marique procellas,
Contunditque Iras hominum populique furores,
Duraque ad arbitrium Regum præcordia fingit;
Annuit ille Deus, fidis, Regina, piiſque
Conſiliis, precibuſque tuis; *Dux Fœmina facti es.*
Ipſa, tuos populos Gentem quæ nectis in unam,
Europæ toti das, facta pace, ſalutem.

Chr. Green, Med. Profeſſ. Reg.

In Pacem.

DIVA, Tu nexis elementa vinclis
Molliter firmas, & iniqua magnæ
Bella Naturæ premis, & ſonoras
Fulminis Alas.
Cum Deus Phœbum, celeremque Lunam
Juſſit æterno remeare curſu,
Pulchra, Tu lætum caput extuliſti
Nata Tonantis.
Tu maris nigris agitata ventis
Terga componis, ſtabiliſque vaſtos
Montium tractus, jugaque inquietis
Tunſa procellis.

GRATULATIO

Te colit bello furioſa Thrace,
Te gravis Medus pharetra decorus,
Teque ferventi poſitus ſub axe
Afer & Indus.
O; laborantes miſerata gentes,
Tollis inſanas Dea, tollis iras,
Et leves tecum Charites revertunt,
Lucidus Ordo.
Tuque cui tota favet arte Phœbus
O Poetarum decus, O *Priore*
Tu tui Phœbi melos aſſecutus
Dic age carmen!
Dic ut Europes moderetur Orbem,
Ut Britannorum regit alma gentes,
Ut, vices cujus gerit, æmuletur
Anna Tonantem,
Qui ſimul diros jaculatus ignes,
Splendidas Cæli tremefecit arces,
Reprimens fulmen, placido gubernat
Numine Divos.

Edmundus Waller, M. D.
Coll. Div. Johan. Soc.

Ζ ΕΥΣ ὅταν Ἡμετέρῃ ἐ ἐπείναϛ τάξιν Ἀνάσῃ,
Παύσαϛ Βϱτόλοιγον Ἄϱῆα, Πόλιάς τε φυλάσσειν,
Καὶ βασιλῆας, Ϲ λαὸν ἀϱιζήλων βαζιλήων,
Εἰπὲ, Θεὰ, ποῖον κλέΘ εἶλε ΔικαιοπόλΘ Ἄ ΝΝΗ·
Ἐν Σπονδῇ Πολέμωτ' ἴσης Ἡ γὰϱ λάχε τιμῆς,
Ἀνδϱάσι βυλευτῆζι κεκασμένη ἠδὲ Μαχηταῖς.
Ἦ ϱά νυ Λωίσι Θ πολέμῳ κὴ γήϱαϊ λυγϱῷ
ΤειϱόμΘ, παίδων παῖδας ἀνήϱονλας ὁϱᾶϛ
Ἐν μεγάϱοιζιν ἐοῖσι, πύϱας νεκύων τε ἀαμείας,
Ὧδε ϗ Τοϱκεῖον, βυληφόϱΘ ὅς οἱ ἄϱιϛΘ
ΔέξιΘ ἰῷ, μύθῳ ϖϱοτεφώνεε, δάκϱυα λείβων.
Ϲ Νδν ἀναφανδὸν ὁϱῶ μιμνιζομένοιο Θεοῖο
Ϲ Κῆλ' ἀνὰ οἶκον ἐμὸν ἀάναϛον καὶ κῆϱα φέϱονζα.
Ϲ Πολλάκις ὠυτὰ Στϱάτυϱ μῷ ἀπώλεσε κῆλα ἀεοῖο
Ϲ Ἡμετέϱυς, ὅτ' ἔγωγε Βϱεζανῶν, ἠδ' Ἐπικύϱων
Ϲ Ἔθνεα

῾Εθνεα μὲν ἁ μοι ἐν πολέμοις σὺν ἐλθέμεν οἶδα
Νήπιος, οὐδὲ θεῶν ἔγνων ἀσεμφέα χείρα
῾Υψόσ' ἀειρομένῳ ἐπ' ἐμ' ἐν πολέμοις τε μάχαις τε.
Τίς μοι ἀνίκητον λιτανεύσει Ἄγγελον ΑΝΝΗΝ;
῾Η γὰρ ἀνίκητος θεὸς ὡς ἐν δηϊότητι,
῞Ωσε θεὸς ἱκέτεω φρένας πεφιδήσεται ἀνδρός.
῍Ως φάτο δακρυχέων ὁ Γέρων, ἅμα γὰρ φθινύθουσα
Λαὸν Ἄναξ ἔκλαυσε, Πατήρ θ' ἅμα οἱ φίλα τέκνα
Κλαῦσεν, ὁμῶς τὰς κῆρες ἔβαν θανάτοιο φέρεσθαι.
Τῷδ' ἀρ' ἐϋφρονέων Θεράπων ὡς ἀντίον ἦλθε.
῾Ω βασιλεῦ, μάλα τῶν ἔπος νημερτὲς ἔειπες,
Παυσωλῆς ὀλοοῖο λιλαιόμεθ' πολέμοιο·
Τύνεκά τοι, βασιλεῦ, τόδε τέκμωρ Ζηνὸς ἔκηπι
῏Ηλυθεν ὑρανόθεν, κὴ τύνεκα παῖδας ἀπῦρε,
Μητέρας ὄφρα θέλῃς πολέμοις πεπαυκότας ἄλοις
Παῖδας ὀδυρομένας αὐτὸς κλαίων ἐλεαίρειν,
Καὶ παύειν ᾽Ανδρομάχας· ἄγε Θεσκέλῳ ΑΝΝΗ
Δὸς κλέος, ἰὼ καίπερ ῾Ετεραλκὴς πολλάκι Νίκη
Τιμήσασα κλέει, ἡμῖν μέγα πένθος ἐφῆκε·
᾽Αγγελίῃ οἱ πέμπε, ὠυτὸς Θεὸς αἰθέρι ναίων
Τῇ πείθῃ, βασιλεῦ, Σὲ ἀνώγει ὄρκια τάμνειν.
῾Ω Βασίλισσα μάκαρ, μοιρηγενὲς, ὀλβιοδαῖμον,
῞Η ῥά νυ Σὺ, Πείραμον Θέτιδος παὶς ὥσε γέροντα
῾Ηδέσαθ' ὃν ἱκέτην, κλαίοντ' ἐλέησέ τε παίδων
῾Ορφανὸν ὠκυμόρων, ὅπερ οἱ μέγα κῦδος ἔδωκε
Καίπερ ἀειρεύσαντι μάχαις ἐνὶ κυδιανείραις,
῾Ηδὲ Θεᾶς δήλωσε Γόνον κὴ ἀληθέα παῖδα·
῍Ως Σὺ κλαιομένῳ, βασίλισσ' εὐμείλιχος ᾽Εχθρῷ
᾽Ανδρείοισιν ὀφρυόνοισι ἐϋκλέα Σ' αἰὲν ἔθηκας·
῞Ω Στυαρχιάδων Γένος εὐμενὲς αἰὲν ᾽Ανάκτων,
῍Αλλοις τ' ἴλαον, κὴ δήμοις οἷσιν ἀνάσσεις·
῞Η κεν γηθήσῃ Πεπάτωρ, ἄλλοί τε Βρεταννῶν
῍Ηρωες βασιλῆες μέγα τερφθήσονται ἀν' ἦτορ
῍Ακρα ἀπ' ὑλύμπου καλιδόντες πατρίδα γαῖαν
Εἰρήνῃ ὕμνους τ' αὐτῶν γέρας ἡδὺ λαχοῦσαν,
Εἰρήνῃ ὕμνους τε πόνους μετὰ, οἷα κὴ αὐτοί.
῞Ω ποίη ἀμηχεμά μοι ὦτα παρήλυθε μολπή;

῍Ως

GRATULATIO

Ὡς ἱερὸν τὸ λάλημ', ὅπα ὡς ἡδεῖαν ἀχεῖω;
Ἦ πάλιν ἠρινίοις ἡμῖν θεῦ Ἄγγελοι ὕμνοις
Εἰρήνλω πάσαις ἀδῆσιν εὐφρονες αἶαις;
Ἦ Σέθεν, ὦ ΑΝΝΗ Δῶρον, Σέθεν ὄνομ' ἀχεῖω
Ἄχρον ἀειρόμφυον Μερόπων μολπαῖς ἐς Ὄλυμπον;
Οὔνομα μὴ μακρὸν προβέβηκεν ἐς ἠρανὸν, αὐτὴ
Δηθὰ μάλ' ἡμετέροις δε χορεῖς Βασίλισσα μετείης
Εἰρήνης τε Δοτὴρ θεοείκελος, ἠδ' Φυλάκτωρ.

Tho. Pilgrim, A. M. Gr. Ling. Profeſſ.
Coll. Trin. Socius.

ANNA armis dudum, ſtudiiſque aſperrima belli,
Nunc mites curas pectore blanda movet.
Una manus ferrum, Lancem tenet una; Quieti
Hæc favet, & victrix altera firmat Opus.
Nota armis dudum, ſis fœdere notior ANNA;
Quæ te cunque olim Terra timebat, amet.
Nullum ſi metuas, niſi quem non viceris, Hoſtem;
Quem metuas, Hoſtis jam tibi nullus erit.
Sive foris, ſive ille domi, tibi cedit uterque;
Huic, armis; illi Pace timenda venis.

Jo. Baynes, A. M. Proc. Sen. Coll. Pet. Soc.

QUI jacet extremo ſub ſidere Mænalis Urſæ,
Triſtis ubi, glacie mortua, torpet humus,
Lurida ſemeſtri perpeſſus tædia nocte,
Dum negat officium qui vehit Axe Diem;
Ut primum Phœbus geniales explicat ortus,
Blandaque Hyperboreum mitigat aura gelu,
Mane novo exultans, Hybernis ſedibus exit,
Naſcentemque hilari ſuſpicit ore Deum:
Miratur placidæ redeuntia tempora lucis,
Præcipit & cunctas pectore Veris opes.
Sic poſt exhauſtos Terraque Marique labores,
Poſt Belli duras ancipiteſque vices,
Læta Dies oritur, Pacis Lux Alma refulget,
Spirat & in Noſtris mollior aura jugis;

Expe

Expectata diu pertentant gaudia mentes
Angligenûm; optatis luxuriantque bonis.
Fallor? an agnoſco reducis veſtigia Divæ;
Fallor? an aſpectus jam ſubit Ipſa meos.
Ecce tenet ſpicam manus altera, & altera Olivam,
Tempora Laurigeris cincta decora comis:
Copia Divino lateri fœcunda miniſtrat,
Effundens flavas Copia frugis opes.
Inde pari paſſu Dominam comitatur euntem,
Incorrupta tenens Fœdera, Cana Fides.
Vade procul Bellona furens, nova regna requiras,
Aufer & accenſas ſeditioſa faces.
Ecce cadunt, ductis ad ſidera mœnibus, Urbes,
Et Cæli in vacuas Turris itura vias;
Æquanturque ſolo validi munimina Martis,
Quicquid & hoſtiles intulit ante minas.
At nova contemtis creſcent Pallatia flammis
Pulchrius; ad ripas, Thameſis Alme, tuas.
Arduaque e ſolido ſurgent faſtigia ſaxo
Templorum; dices Nobile Pacis opus.

Magna Parens Patriæ, decus & tutela tuorum,
Seu Pacem inſtauras, ſeu fera bella moves,
Deſine curarum: O Cælo Dilecta! quiete,
Quam dederis terris, incipe & Ipſa frui.

Tuque Decus Phœbi, Muſarum maxima cura,
Pollens arguta, Culte *Priore*, lyra,
Dulce melos fundas; linguiſque animiſque favemus,
Dum cantas, Noſtræ Gloria prima Domus.
Æternos facias Pacem, Paciſque Miniſtros,
Inque tuo vivat carmine Gentis honos,
Audiat Europæ ſolatia ſera juventus,
Et per Fœmineas gaudia parta manus.

Tho. Feilde, Coll. Div. Johan. Soc.
& Procurat. alter.

GRATULATIO

Ad REGINAM.

ANGLORUM gentis decus, ANNA, ſaluſque ſupernum
Poſt numen, quæ res noſtras tutaris & ornas,
Tu bellis, tu pace potens, tu condere leges
Æquas docta, eadem populos frænare ſuperbos;
Moribus antiquis ſtabit Res Anglica longa
Æternum fama nomen, dum Regia jura
Et Majeſtatem Parium domus alta tueri
Et Populi ſtudeant, dum nullus publica Drances
Conſilia impediat fallacis crimine linguæ
Obſcuris falſa involvens, dum Eccleſia Mater
Te Caput agnoſcat, merito te jure Patronam,
Sancitos retinens ſtabili fundamine ritus,
Antiquamque fidem, jus & venerabile Mitræ;
Nec tetram moveant violenti ſeditionem
Diſſentire quibus datur indulgentia, pœna
Immunes, grati ſed libertate fruantur.
Artes edoctus pacis, felicia regna,
Iſacidûm Rector, tenuit, ſapientia famam
Cui dedit æternam, auſtrali, hunc, de gente profecta
Regina inviſens, ſacro pendebat ab ore,
Mirabatur opes multum, mage callida verba.
Te, Regina, animi lenis mentiſque benignæ,
Ambitione tumens Gallus, bella horrida, cogit
Invitam gerere, & longos producere in annos;
Expertus damno quid virtus Anglica poſſit
Fœmineis læta auſpiciis, orare coactus
Lege tua pacem accepit: ſapuiſſe docebas
Illuſtres Socios, & finem ponere bello.
Aurea Pax toti, reddat commercia, mundo
Utilia, & Regnis accreſcant commoda veſtris,
Artificumque manus gnavæ frugique coloni
Felices operum laude atque labore fruantur.
Si vero in terris poterit gens ulla latere,
Invida gens ſceptris veſtris, inimica quieti,
Dediſcant artes belli, lucrumque ſequantur
Degeneres, turpe, inde inimicis præda futuri,
Nam virtus aurique fames in pectore eodem
Vix ſedes poſuere ſuas. Tu Diva teneto
Pacis & armorum ſtudiis clariſſima Regna.

Ex-

Expreſſit vultus faciles, & membra decora
Knellerus vivos doctus Miſcere colores:
Sed carus Muſis, & natus rebus agendis,
Pindaricis, Janum Antiquum, qui vocibus urget,
Carmine felici, & magnos libavit honores
Willhelmi Magni, mentem divinaque pingat
Pectora, nam calamus Divam deſcribere dignus;
Sic dabis, Angligenæ vati per ſæcula nomen
Quale dedit magno, Princeps Invicta, Maroni
Troius Æneas Pietate inſignis & Armis.

Rob. Grove, Coll. Div. Johan. Socius
& Almæ Univerſ. Regiſt. Principal.

HACTENUS Invicti Virtus ſpectata Britanni,
ANNAque Magna ſuos protexit ab Hoſtibus armis
Teutonas & Belgas: Immenſis Fœdera gazis
Aſſeruit, Valide, Totis & Viribus, una
Juſtitium pepigit Sociis pacemque Sequeſtram.
Sat Marti ferroque datum eſt, Hockſtedia clades
Quas dedit agnoſcit grato Germania plauſu;
Flandria nec reticet Magni molimina Niſus.
Jam vero ut Finem longi, Regina laboris
Læta videt, ſubito male concita turbine ſurgit
Tempeſtas, Terraſque quatit, turbatque ſerenum.
" Ilicet Ulterius (ſic juſſit Factio) Bellum
" Contra fata Deum, perverſo Numine, poſcunt.
Sic ubi Grandævus requiem pacemque Latinus
Defeſſis bello Phrygibus fractiſque Decenni
Obtulerat, Turnus ſe contra ſiſtit iniquus
Arbiter, & late frendens furit Ardea Fruſtra.

C. Beaumont, A. M.
Coll. S. Pet. nuper Socius.

In obnitentes Paci.

IMPROBENT pacem neque conſulentes
Patriæ pergant, male pertinaces!
Principis votum, populique contra
Ire furentes!

En

En tamen magnum meditans triumphum,
Ardet invitos ſtudio levandi,
Subditis, Victrix, ſibi quod negarint,
ANNA reponens.
Barbaro tandem ſatiate bello,
Principi adverſate nimis benignæ,
Te, prece & multâ, lachrymiſque puris,
Rite piandum,
Quas ſtruit Regina ſacrans tremendo
Cæde gaudentes graviter ferire
Numini accincto, cito, dum licebit,
Transfer in ædes.
Civis, & Miles, feret & Sacerdos,
Parta felici ſibi ſervitute,
Nam dabit princeps! ea, quæ decebit,
Præmia clarus.
Separans Regina Sacris profana
Perge, miſceri prohibens *Duellis*
Impiis, ſævis inimica, pacem, ac
Turpia pellens.
Sic Deo pacis, Tibi & obſequentes,
Regna confirmans, repares Britannos.
His viget factis, & oliva frondens
Uſque vigebit.
Sic diu ex alto Solio, precamur,
Deprimens hoſtes, animanſque amicos
Splendeas, Princeps, tenebras fugantis
Solis ad inſtar.

J. Bowtell, S. T. B. Coll. Div. Joh. Soc.

GAUDETE Cives, gaudeat Britannia,
Deſideranti quod ſuæ Britanniæ
Poſt tot beneficia, unicum quod potis erat
Præſtare, quo beatior foret domi,
Id ANNA pace reſtituta præſtitit:
Poſt tot triumphos, mille poſt victorias,
Nomen Britannum quod pote fuit unicum
Tollere apud exteras magis gentes, ſuis
Id ANNA pacis Arbitra Europæ dedit.
Europa quantas debet ô Tibi gratias,

Quæ

Quæ libera olim armis, quieta nunc Tuis
Fit, ANNA, conſiliis? Britannia quas Tibi,
Felicitate quam beas tanta, ut Dei
Vix amplius dent, propria quam ut faxint bona?
Gaudete Cives, gaudeat Britannia,
Oſtendat univerſa civitas piam
Lætitiam, & inquieta rabies partium
Pacis ſacro quieſcat in ſilentio:
Mundo quod & Tuis dediſti, ANNA, Tibi ne
Cives Tui porro negarint Otium.

Joannes Burford, A. M. Coll. Regal. Soc.

USQUE licet victrix ſævo Brittannia Marti
Quot pulchras animas divitiaſque dedit?
At tandem ſatis eſt; poſt tantos grata labores
Otia Pax feſſis exhibitura venit.
Carmine quo poſſim teſtari gaudia? laudes
ANNÆ quod dignum dicere carmen erit?
Ipſa etenim quantos paſſa es, Regina, labores,
Ut nobis poſſis Otia tuta dare?
Quid tua cura tibi debet Brittannia? Jani
Claudere cui portas atque aperire datur.
Ut prius ob patriæ te ſumſiſſe arma ſalutem
Sic patria incolumi jam poſuiſſe juvat.
Nec propriæ gentis contenta ſalute fuiſti,
Semper opem ſociis arma tulere tua.
Bleinhemiæ ſtrages teſtatur, Flandria teſtis
Terra virum, & virtutum omnium acerba cinis,
Quæ Belgis, tua quæ Germanis arma dederunt
Auxilia, & quantis eripuere malis.
At non, depoſitis armis, deponere curam
Illorum virtus te generoſa ſinit
Hos quoque ut invitos poſſis ſervare, ſalutem
Vel noſtram piget haud ſiſtere velle parum.
Auſtriacus tamen arma gerit; regno addere gentes
Scilicet ille novas, & nova regna cupit.
Jamdudum at docuit dura experientia, non hæc
Speranda ulterius, Carole, regna tibi.
Bella tamen moveas, placeant ſi bella, colenda eſt
Pax nobis, maneat Pax precor illa diu.

Car. Hawtrey, A. B. Coll. Regal. Soc.

GRATULATIO

Honoratiſſimo V. Dom^no GULIELMO DRAKE, *Equiti Aurato & Baronetto, ac Magnae Curiae* THALASSIARCHIAE *è Dominis Praefectis.*

De Claſſe Britannica in portum ſubducta.

RECTOR undarum, pelagique Praeſes
Nereus raras fluitare Ponto
Vidit ut Turres, vacuique late
Caerula Regni.
‘ Qua meum, dixit, decus, o Britanni,
‘ Veſtra qua Claſſis periit procella?
‘ Invido quiſnam Superûm Deorum
‘ Turbine merſit?
‘ Non Ego aeratas video biremes,
‘ Tranſtra nec denſis onerata turmis,
‘ Audio aut laetae ſtrepitum Juventae, aut
‘ Fulmina Belli;
‘ Neve, quas ventis placidis agebam,
‘ Cerno, qua Nautis ſteterant Columnae
‘ Herculis notae, refluaque Calpe
‘ Vapulat unda;
‘ Nuper Hiſpanum male contumacem
‘ Rookius veſtras ubi fudit, Urbem
‘ Imbre disjectam ruit & caduco
‘ Ahaenea nubes;
‘ Aut ubi ultrici Catalas ab unda
‘ Igneam plumbi ſtupuit procellam,
‘ Triſtis horrendum tremuitque denſas
‘ Barcina Lunas.
‘ Solus hîc nullos video ſodales
‘ Brittonas?——Nereu, poſito tridente,
‘ Otium poſthac age ſempiternum
‘ Inglorius antro.——
Audiit Tethys querulum Mariti
Carmen, iratum ſubitoque mulcet
Voce mellita, faciliſque blando
Ore locuta eſt;
‘ Illa, quae ſemper Tibi Cura, Nereu,
‘ Nec minor veſtrae Mihi Cura, Claſſis
‘ Innocens portu, innocuaque arena
Tuta quieſcit; ‘ Miſit

‘ Miſit ingentes modo quae favillas
‘ Ore centeno, ac tremefecit axem
‘ Duplicem, vidi tacito reclinem in
‘ Litore Navim.
‘ Dixit haec nuper Mihi, Cui ſecunda
‘ Serviam ſoli, dominata Ponto
‘ Anna devincto, Tibi & ipſa ponens
‘ Jura volenti;
‘ Cantabris tandem pavidis relicto
‘ Litore, invitos jubet abſtinere
‘ Milites iris, ſinit atque Iberas
‘ Surgere turres.
‘ Orbe pacato, ſedet Anna, ridens
‘ Deſuper Turbae rabiem frementis,
‘ Spernit inſano Dominoſque plebis
‘ Foedere junctos.
‘ Orbe pacato, ſedet Anna, lance
‘ Temperans mundum, Jovis inſtar, aequa,
‘ Cui vigil virgaque potens adeſt *Ca-*
‘ *ducifer*, Harleûs.
Haec ubi. Arridens petit Hic receſſum;
Illa feſtino pede mox ſecuta,
Nota qua ſedes erat, in jacentem
Illabitur algam.

Tuque, quem Muſis pia cura amoenis
Patriae abduxit, cape, cum vacaris
Arduis, Carmen Tibi fabuloſo
Pectine luſum.

Sam. Drake, A. M. Coll. Div. Joh. Socius.

Tandem quieſcunt Bella, nec amplius
Hoſtis ruinas Sanguineus parat,
At Pacis æternos honores
Compoſitis meditatur armis.
Nunc fas Lyæum promere conditum
Cellis avitis, & pede Libero
Pulſare terram, araſque Sacris
Marmoreas onerare flammis.

Non

GRATULATIO

Non nunc ut olim Sanguine Spumeus
Scaldis tumeſcit, non parat inſolens
Victor catenas, aut opimis
Splendidus exuviis ſuperbit.
Quid arma poſſunt improba vidimus,
Et vulneratam flevimus Angliam,
At Pace confecta cruentum
ANNA Studet reparare vulnus.
In fœdus omnes jam coeunt Sacrum
Præter Superbos Teutonas, hos adhuc
Inſana bellandi cupido
Exagitat, miſeræque Genti
Tollit Quietem, mox avidi tamen
Quærent negatum ſæpius otium,
Interque Gentes fœderatas
Sero ſuam poſuiſſe partem.

Johannes Morſe, Aul. Clar. Alumn.

Ἄκριτοι ὀκ Νοτίων ποτὶ Βορρᾶν Κοσμοπολίται,
Παύσατε Μαρθεσίλεω ὕμνειν κ᾽ Πενθεσίλειαν,
Ἀντιόπην τ᾽ ἄλλας τε Ἀμαζόνας ἀνπανείρας.
Θαυμάζειν παύσασθε Σεμίραμιν ἢ Κλεόπατραν,
Καὶ κρατερὸν ὑμνεῖτε μόνον Βρεττανῶν Βασίλισσαν,
Θηλειῶν, ἀρετὸν κ᾽ πεφάσματα, κρείττον᾽ ἁπασῶν.
Μικρὰ λέγω· Πάντων γὰ ἐγείναθ᾽ ὑπείροχος ΑΝΝΗ
Ἡγεμόνων μαχίμων τε, & Ἡμιθέων Ἡρώων.
Θαυμασὸν τὸ πάλαι Ἡρακλῆς ἔργον ἔδοξε,
Κτειναμένη Λερναῖαν Ὕδραν, πολυκέφαλον ἀγρὸν
Πορθήσαζαν. Ἀταὰρ βλαβερώτερον ΑΝΝΑ δάμασε
Θηρίον, Εὐρώπῃ λοιμὸν κ᾽ κῆρα μέλαιναν
Πεμψάμενον· Πλείοις δ᾽ ἀνεωγμένον εἰν ἐτέεσσιν,
ΑΝΝΗ κλείσε Νεὼν εἰρηνικὸν Ἀμφιπεραώπα,
Εὐρώπῃ τε δέδωκεν, ἑοῖς δὲ μάλιστα Βρετάννοις,
Χάρμα, νηνεμίην, χρυσῆν τ᾽ αἰῶνα Κρόνοιο.

A. Rogers, C. C. C.

AGE

AGE, jam Triumphis dives O *Britannia*,
Accinge pectora gaudiis ingentibus;
Exuberantia pectore undanti ſuo
Quis non profundit gaudia? En tandem Dies
Effulſit Ille, Regna Qui verè beat!
Nam poſt tenaces hactenus Belli moras,
Poſt tot virorum funera & tot lacrymas
Matrum, ſerena *Pax* adeſt grandem afferens
Felicitatem. O lætum & optatum Diem!
Sic Turbo poſtquam immanis agitavit diu
Fretum; aut tumentibus Auſter undis incubans
Sedibus ab imis concitum invertit mare;
Simul refulſit Fax gemelli ſideris
Tranquilla pandens uſque, Venti concidunt;
Turbida quieſcunt maria; ridentque omnia.
Majore plauſu tum fremunt Nautæ, aſpera
Quàm ſi fuiſſent nulla; Provehitur Ratis
Poſt dura multò lætiùs, ſolito enitet
Pulchrior, & ipſis ducit ex damnis opes.
Quos non tumultus, quæ nefanda cernimus
Exitia, ubi ardet Bellum; ubi vis horrida
Martis tremendi ſe explicat? Latè furor
Vagatur audax. Quiſque quod lubitum eſt ſcelus
Aggreditur ultro. Tum videre eſt nil niſi
Haſtas, & enſes, & faces, & fulmina.
Sic undiquaque immenſâ ſe ſpargunt mala.
Quiſquámne verò mentis adeò turbidæ
Qui hæc horrida exoptat? num & ultrà progredi
Sunt, quos juvat, mala tanta? Num heu! campis parum
Fuſum eſt cruoris? Nec manus gladio rubens
Sat ſceleris edidit? Anne ſunt, qui reſpuunt
Pacis benignæ munera? O præpoſteros
Hominum timores! Exulat, longè exulat
Belli & malorum turba; Quid? *Pacem* timent?
Ponite timores: Nil enim hîc quod terreat.
Videre quicquid, quicquid audire eſt metus
Nos jam reliquit. Hinc abiit Bellum & Nefas.
O Nos beatos! ſcire modò fas ſit bona
Noſtra. Et quid obſtat ſcire quo fas ſit minús?
Nos *Pax* reviſit auream frontem gerens,
Et Læta vultus. *Amor* inoffenſo pede
Graditur comes, nocere cuiquam neſcius,

Prodeſſe gaudens omnibus. Sua *Fauſtitas*
Munera redonat grandia manu prodigâ.
Conſequitur hilari uſque ore & inceſſu gravi
Religio, nova tot *Templa* jam ſibi gratulans
Dicanda; ſolito & lætior, quòd non ſuas
Aras, ut olim, polluant *Fanatici.*
Imò hæc beata Regna dicite, *Pax* ubi
Errat per Urbes cincta tam egregio agmine.
Innocua ruris dextra jam ferrum teret,
Et ipſe miles callidas tantùm feris
Fraudes parabit, ac in uſus uberis
Cereris ſuum diffinget enſem. Atqui Tuba
Bellorum in uſum nata, quæ certamina
Accendit olim voce, reſonabit procul,
Quà terra panditur uſpiam, *Britonum* bona,
Annæque laudes, tanta Quæ facit Otia.
Exhauſta demum Bella. Jam miles canat
Iö Triumphe! & cæteri longè ſonent
Iö Triumphe! Nunc adeſte, ac nunc vacat,
Adeſte milites, Ducumque acta inclyta
Narrate, & acri nobiles Bello manus.
En *Hic* timendus hoſtibus, nullum timens
In acuta Belli fertur, horrendum intonans
Per flammam & hoſtes rapitur, & latè efferis
Exultat ardens ſtragibus. Quanto rotat
Fulmineus enſem turbine! & quantas agit
Impune clades! Ecce Quâ pugnat manu!
Ubique vincit, ubique ſternit corpora.
Leo ſic per arva dente ſtricto curſitat
In cæde multâ victor, ubi tauros premit,
Spumat, minaſque volvit ore turbido,
Omniaque vaſtat faucibus rabidis hians.
At *Ille* ſolidæ mentis egregiè potens
Medios per ignes Belli & irata agmina
Sedatus equitat, mente volvens ardua
Momenta rerum. Quicquid in Caſtris furit
Hortatur, urget, imperat vultu gravi.
Hîc animus idem eſt, frontis hîc idem decor.
Dumque huc & illuc mille per mortes volat,
Stat magnus animi, firmus, intrepidus, ſuus.
Generoſa Virtus neſcit ignavos metus,
Illæſa ſemper, haud timet mortis minas

Inſtantis, ac ſi fractus Orbis concidat,
Impavida manet ingentia inter fragmina.
At *Tu* decorus corpore, & vultu ferox,
Prodigus & animæ, dum volas nimis impiger
Feros in hoſtes, Quáque Telorum ſeges
Cuſpidibus horruit acrior, ruis impetu;
(O tantus armis *Juvenis* haud meritus mori!)
Procul a Tuis denſas ſuperborum hoſtium
Inter catervas cadis.——At ô pulcherrimum
Mortis genus! Sic & mori pro Patriâ
Dulce & decorum. Hæc ipſa mors ſibi præmium eſt.
Satis Ille vixit, morte qui tali occidit.
Quid verò plures? magna Virtus omnium
Spectata ſatis. Huc ergo mentem advertite.
Aſpicite honoratum *Ducem* (victricibus
Toties decorum Laureis) vinctum comas
Frondibus Olivæ. *Ormondi* in Agris *Flandricis*
Sat nota Virtus: Cernite hîc mitem manum.
Superare novit, novit Idem & parcere;
Et ſtabilem in ipſo prœlio *Pacem* facit.
Hinc gloriæ major ſeges, quàm ſi hoſtium
Turmas potentes diruiſſet funditus.
Pacem virenti flore redimiti caput
Celebrate, Cives; Agite, lætari decet.
Pæana dicite. Dicite alternâ vice
Straffordum amantem *Pacis*, & tum *Præſulem*,
Æqui tenacem *Præſulem*, mitem *Patrem*.
Et tum viciſſim canite *Bolinbrochium*que,
*Harlëium*que, magna Nomina. Aſt ubi
Ingens *Stuartûm* Gloria, & *Britonum* Decus,
Cujus per arma regnat in terris Amor;
Ubi nominatur ANNA; magnus tum chorus,
Ubique, plenâ voce, complet æthera,
It ad aſtra clamor, cuncta plauſu perſonant;
Hanc Oppidum, *Hanc* Senatus, *Hanc* Caſtrum canit,
(Parum Illa) tota *Europa* ſimul *Hanc* concinit,
ANNAMque laudibus ornat ipſa *Gallia*.
Nil jam timendum. Noſtra ſat firma eſt ſalus,
Modò vivat ANNA. O ANNA & ut vivas diu,
Precamur omnes. Adſit ô precibus Deus!

Ric. Croſſinge S. T. B. Aul. Pemb. Soc.

ANNA,

GRATULATIO

ANNA, Tuæ tandem læta hæc Victoria pacis
Ingens Auguſto fine coronat opus.
Dum requiem terris poſt triſtia bella ferebas,
Non Batavis, proprio Marte ſed ipſa tuo.
Turba fremat frendens ingrata, domique foriſque,
Miſceat inſanos conſiliique dolos.
Sed fruſtra: exercet ſi Magna Britannia Vires,
Invictas bello pace ſimulque ſuas.
Contentus Dux quiſque feris tunc temperat iris,
Jus dum cuique ſuum lance dat ANNA pari.

Tu SOPHIA illuſtris, pacem Tibi gratulor ANNÆ,
Quæ tutam præſtat Teque Tuamque domum.
Et ſanctæ illæ animæ, Quæ mille pericula fingunt,
Curant & triſtes ſpargere ubique metus,
Pergant: dum Vobis quod mente Eccleſia recta
Curat res veſtras, Magna Duciſſa, probant.

I nunc & ſupplex, per Quem felicitat ANNA
Orbem Terrarum, Muſa precare Deum.
Sacra Miniſtra Dei, cui mens ſibi conſcia recti
Suavius ac melius quam Diadema ſapit,
Spretam Quæ Chriſti Sponſam complectitur, unam
Ardenti ſobolem Mater ut alma ſinu,
Vivat: & in terris, cum multâ pace triumphos
Pacis, Quam terris nunc dedit ipſa, ferat,
Dum Æterna in cælis, (veniant ſed præmia ſero)
Martyre cum Carolo pace fruetur Avo.

Ric. Stephens, A. M.
è Soc. Sen. Coll. Regal.

Ὡς ὅτε γαῖαν ἔλειπε Δίκη μετὰ φῦλον ἰοῦσα
Ἀθανάτων, ἠὲ θνητὸν ἐν ἀνθρώποισιν ἐφάνθη·
Ἔνθα σιδήρειον μιαρῶν φύλῳ γένος ἀνδρῶν,
Οἳ κακὰ βυλεύσαντες ἐναντίοι ἄλλος ἐπ' ἄλλον
Ἄλγεσι παντοδαποῖσι πρόϊδμον αἶαν ὄλεσκον.
Ἀστραίας δὲ ποθὴ ἀγαθὺς λάβε πάντας ἀπούσης.

Ὡς

Ὡς ἢ φευγέσης ὅπλων πολέμοιό τε κλαγγὴν
Εἰρήνης, πόσα κήδε' ἐφίσα) ἀνθρώποισιν;
Ἔχθος ἔπειθ', Ὑβρις τε κακῆ ἑτάρη πολέμοιο,
Καὶ βεβλοιγὸς Ἄρης, ἢ Ἐριννύες ὁρμαίνεσαι,
Καὶ Ἔρις αἱματόεσσα διέπρησσον πεδίοιο·
Πανταχόθεν δ' ἔφερόν τε φόνον ἢ κῆρας μέλαιναν.
Ἀλλ' ἄγε νῦν μοι, Μῶσα, μέλῳ χαριέστερον εἰπὲ,
Οὐκ ἔσω τοι ἔρις τε φίλη, πόλεμοί τε μάχαι τε,
Οὐδ' ὅσον Βρεττανὸς ἀπ' ἐχθρῶν ἤρατο κῦδος,
Ἢ Γάλλων, ἢ Ἴσρυ ἐϋῤῥείταο παρ' ὀχθάς.
Ἄ ANNA, πρὴ λαῷ αὐτῷ, σωτηρία πάσης
Εὐρώπης, φύλοις εἰρηνίην πᾶσιν ἔδωκεν·
Αὐτὴ ὁμοφροσύνης πάντας μέγας ἵμερος ἵκει·
Ἥσυχοί εἰσι ἢ ὔπι μέλει πολεμήια ἔργα.
Μείζονας ἦν διὰ τοῦτο ἔχῃς, Βασίλισσα, θριάμβους,
Ἢ ὑπὲρ αἱμοβόρου νίκης· νῦν Ἄ ANNA κελεύει
Εἰρηνίην εἶναι, ἐς αὐτίκα· καὶ μάλα πολλοὶ
Ὄλβον τε πλῆτον τ' Εἰρήνης δῶρα ἔχουσες
Κλείσουσιν Βασίλισσαν ἐπ' ἔσχατα πείρατα γαίης.

Tho. Crosse, A. M. Aul. Cath. Soc.

Ad ROBERTUM *Comitem* OXONIENSEM &c. *Magnæ Britanniæ Thesaurarium.*

CUM Te, cum Pacem, Cæli duo maxima & ANNÆ
Dona, Harlæe, canam, Musarum & Apollinis instar
ANNA mihi faveat, Paci licet usque faventes
Non ego non alias mea Posco in carmina Divas.
Viderat Illa suis Britonas victricibus Armis
Oppressos, nimia partos mercede Triumphos,
Et Te labenti jussit succurrere sæclo.
Sic spes Grajorum, certa & fiducia Ulysses
Palladis auxilio semper stetit, ille secutus
Jussa Deæ, clara volitat super æthera fama.
Omnia Jam rident, felicior incipit annus,
Proventuque onerat sulcos, mox horrea rumpet,
Fundit humus flores, & gramine prata viresçunt,

Deducuntque ſuos pomorum pondera ramos;
Et qui cæruleum proſcindit navibus æquor,
Divitiis Patrias ſedes, atque otia mutans
Mercator reficit quaſſas in littore naves,
Nec timet infido merces committere ponto;
Impune extremas Indorum inviſerit oras,
Inde novas revehens, Harlæo munera, gazas,
Primitias pacis; Sic O! perſolvere Gentem
Quamque decet meritas tali pro munere grates.
Has attollit opes, puraque in veſte reſurgit
Religio veneranda, ævo vix nota priori.
Cura metuſque abeunt, fugiunt fraudeſque dolique,
Ambitio irrequieta, & amor ſceleratus habendi.
Nos etiam Harlæo Britones ſolvamus honores;
Adſit Lætitiæ Bacchus dator, adſit Apollo,
Nunc cunctis cantare, & nunc ridere decorum.
Turba Ingens impune licet Virtutibus obſtet,
Et livore premat facti Immortalis Honorem,
Dum florent Artes, & ſunt Commercia Lucro,
Anglia Conſilio Harlæi dum ſurgit ad Aſtra,
Felices Annos invita fatebitur Ire
Invidia, & major quando obice creverit Heros,
Ipſa ſuos flebit quos illi inflixerit ictus,
Figet & in proprium pectus, ſine crimine, dentes.
Nullus jam Percuſſor erit, qui vulnere ſperet
Lædere ab incluſo ſervatum Numine pectus.
Quæque petiverunt memorandum in ſæcula Nomen,
Nunc eluſa cavos ſubeunt mendacia folles.
Sic quæ per Noctem Stygiis ſeſe extulit Umbra
Sedibus, humanas aſſumpta ut imagine Mentes
Terreat, ut lucem jam nunc inſtare propinquam
Senſerit, infernis, (veluti formidine formæ
Ipſa ſuæ perculſa) iterum ſe condit in oris.

Tho. Foley, Trin. Coll. Socio Commenſalis.

Dialogus

Dialogus inter Vatem, & Pacem.

Vates. UNDE? & quo tendis noſtris novus advena terris?
Ignotum ad Britonas quis Tibi monſtrat iter?
Pax. ANNA dedit facileſque vias, ventoſque ſecundos,
Per Mare, per Terras, Hâc duce, tuta fui.
Exul eram patria, diverſa per æquora vecta;
Anglia mi patria eſt, Anglia Pacis amans:
Direxi huc curſum, effugiens Certamen & Iram;
Si nomen quæras, PAX vocor; ANNA Parens.
Pacis es, ANNA, Parens; Tua ſum, Tua dicar oportet;
Ut Tua permaneam, dic modo, *Fiat*, Erit.
Vates. Hoc ſatis eſt, Numen firmat quod dixerit ANNA;
ANNA regit Terras, & regit Aſtra Deus.

Nobiliſſimo Viro Magnæ Britanniæ Theſaurario.

DIGNE Pater Patriæ, Britonum fidiſſime Cuſtos,
Quis Te, quiſve Tuos ſcribere poſſit Avos?
Tentat Bentleius; quanquam valet Ille Loquendo,
Vix valet Ille Tuum dicere, Magne, decus.
Quam Fortis ſteteras, animæ quam Prodigus altæ,
Guiſcardus ſacrum dum fodit enſe Latus!
Tum vere inſerere *Anna* oculos in pectore poſſet,
Anglia tum vidit quæ Tibi cura ſui.
Virtutem illa Tuam monſtrabat Plaga; probare
Pectora non poterant Inviolata Fidem.
Vivis; vive, precor; Te nulla Pericula tangant:
Qua per Te fruimur, fas Tibi Pace frui!

Rob. Parran. S. T. B. Trin. Coll. Socius.

JAM Bellicoſis pone Modum ſonis
Pimplei dulcis, jam ſileant tubæ;
Nec rauca pergas inquietâ
Tympana ſollicitare dextra.
En te repoſcit tibia, te Lyræ
Suaves ſuſurri, te Citharæ leves,
Spirare jucundos amores
Propter aquas ſolitæ perennes;

Lætos

Lætos Amores, cum procul abſoret
Bellona, nec dum Virgineo choro
Inviſa Virtus evocaret
E Thalamo juvenes ad arma.
At nunc amantem blanda tenacibus
Pax reddit Ulnis; nec dolet amplius
Relicta Phyllis, frigidæve
Illacrymat Viduata Nocti.
Quin nunc amores inter & Oſcula
Referre magni prœlia nominis
Juvat reverſum, & bella, nuper
Flandria quæ miſeranda vidit.
Glebam eruentes Flandria fertilem
Duras Equorum viderat Ungulas,
Meſſemque Speratam dolebat
Heu! tenera Morientem in herba.
Atqui colonis arva querentibus
Abrepta, Meſſis ſpem prius irritam
Rependit hoſtili Britannus
Sanguine cum ſaturaret Agros.
Vides ut alto vertice ſtet ſeges,
En ut triumphans herba jacentibus
Inſultet, haſtatæque ariſtæ
Corpora quæ Nocuere ſubdant!
Secura pubes demetit horrei
Onus laborantis; juvat impigram
Legiſſe fruges, & peracta
Meſſe dies agitare feſtos.
Arguta jam nec fiſtula, nec leves
Silent avenæ, nec chorus interim
Ceſſabit agreſtis Virorum
Quos poterunt iterare verſus.
Rudes poetæ, magna, tibi tuas
(Quod tu canendi feceris Otia)
Non invidebunt, ANNA, laudes,
Digna cani meliore plectro!
Sed nec recuſes quæ tibi gens dabit
Inculta, quæ nos; forſitan hæc tuo
Dignata ſi rides Ocello,
Muſa Melos canet invidendum.

Johan. Cooper, Aul. Trin. Alumn.

ITE

Ite triumphales pompæ, Martiſque ſecundi
Exitiale decus; valeant damnoſa tropæa,
Et rauci armorum ſonitus, & inutile fulgur:
Hæc celebrata ſatis, dum longa Britannia duræ
Tædia militiæ, funeſtaque bella trahebat.
Tunc Illa haud ſenſit, fervens certaminis æſtu,
Vulnera quam furtim ſtillent, quæ cæca triumphis
Exurgat clades, terramque ut pauperet almam
Laurus in immenſum creſcens, ac ſidera tangens,
Divitiaſque Soli, ſuccoſque exhauriat imos:
Fluctibus at belli exultans, velut æquore puppis
Irato invehitur plenis jam turgida velis,
Ventoſo tumuit faſtu, ferrique procella
Geſtiit, & ſævis inflata ſuperbiit undis.
Scilicet ut correpta domus crepitantibus ardet
Ignibus, & flammis jamjam ruitura coruſcat;
Dumque renidenti rutilant incendia cælo
Et late terrent populos, Vulcania peſtis
Urit, & illuſtres avide depaſcitur ædes:
Albion haud aliter ſtreperis cum fulſit in armis,
Splendidius periit victrix, & lumine damnis
Accenſo, claram traxit labefacta ruinam.
Uſque ardens adeo virtus, dum gloria rerum
Inclyta lucebat, vires abſumpſit, & artus,
Et penitus tecto liquefactas igne medullas.
Victrices inter Lauros, ſpolia inter opima,
Heu quot pertulimus miſeri diſpendia belli!
Ah procul a patria quoties Mavortia claſſis
In fera fata viros rapuit, mortemque cruentam,
Trans pelagi fluctus, atque irremeabile marmor,
Immeritos! quoties vis abſtulit invida venti
Naſcentem florem, immaturaque pignora ruris!
Vix devota magis Lethæo corpora Diti
Lurida per Stygiam ſubvectat cymba paludem.
Hinc viduata ſuis ſterileſcunt arva colonis;
Hinc vacuæ exhauſtis revireſcunt civibus urbes;
Hinc inter denſas nympharum rara juventus
Pubeſcit turbas; abſentem quæque puella
Ingemit Heroa, & raptos ſuſpirat amores:
Non madidi fletus vigiles ſub pectore tedas,
Non lacrymæ extinguunt: ſed flamma virgo caleſcit
Acrius amiſſa, multoque impenſius ardet.

At nunc ſopitis tandem Pax undique bellis
Aurea, ceu Phœnix deferveſcente favilla,
Exoritur; redeuntque ſimul Saturnia regna,
Almaque libertas, & amæni gratia ruris,
Et tranquilla quies, & pleno copia cornu.
Fructibus en quantis oneratur Nautica pinus!
Quas ſulcata novas effundunt æquora meſſes!
Aſpice! conjurant gentes ditare Britannos
Donis quæque ſuis; huc toto corpore ſudat
Nereus, & cunctis connititur Æolus antris.
Nam quales hinc inde volant, liquidaſque per auras
Aeriæ ſpatiantur apes, & roſcida paſſim
Mella legunt, referuntque domum, celliſque reponunt:
Haud ſecus alatæ naves vada ſalſa pererrant
Innumeræ; celeri curſu, mora nulla, vagantes
Qua ſeu cunque fremit pontus, ventive ſuſurrant,
Naturæ populantur opes, gravidæque volatu
Vix revehunt tardo collectas undique merces.
Quin etiam Strages hominum, fatique ruinas
Inſtaurat genialis Amor; jam fervidus urget
Blandum opus, & mundo fœcundis incubat alis:
Cernis ut emergit ſucciſa Britannia ferro
Lætior, & falcem ceu paſſa repullulat arbor,
Uſque reflorenti pergit ſoboleſcere fœtu.
Certatim interea Britones, Genteſque remotæ
Te, Regina, canunt, cujus mitiſſima virtus
Compreſſit belli rabiem, poſitoque tumultu
Imperium dat Cuique ſuum, ſua Cuique rependit,
Pacatumque æquo libramine temperat orbem;
Siderei dum terra poli micat æmula, ſpargens
Æthereum decus; & diffuſo lumine ridet.
Sic ubi componit turbatas Æolus undas,
Et nova pugnaces ventos in fœdera cogit,
Horrida tempeſtas cedit, liquidiſſimus humor
Diffluit; & juſtis libratum ſternitur æquor
Ponderibus, veraque refulget imagine cæli.
Quin age, tu, cujus Parnaſſia munere Laurus,
Et tarde nimium creſcens floreſcit Oliva,
Caſta Minerva, precor, penitus reſtingue furoris
Relliquias, & adhuc gliſcentes Cæſaris iras:
Ex ANNA didicit furialia bella movere;
Diſcat & ex ANNA placida requieſcere Pace.

Joh. Warde, A. M. Coll. Regin. Soc.

JAM

JAM ſatis Europam Bellona exercuit armis,
Jam ſatis hoſtiles intonuere minæ;
Pax diro armorum longe clangore fugata
Incoluit nimium Barbara regna diu.
At nunc pacatas repetas, Concordia, Terras,
Nunc ANNÆ ſacra reſtituare manu.
ANNA graves Bellatorum compeſcuit iras,
Clauſit & æterna triſtia bella ſera.
Omnia promittunt pacem; tu porrigis arces,
Galle, tuas, timidaque oppida capta manu:
Haud ultra fama accenſus fera bella probabis,
Te clades, Lodoix, edocuere tuæ;
Promiſere tibi quam vana Oracula Vatum
Borboniam Mundi frœna tenere Domum:
Tantum arma in Terris Britonum valuere, piæque
In Cælis ANNÆ tam valuere preces.
Ecce etiam jam Belga ferox ſeceſſit ab armis,
Et repetit patrios Turba Britanna Lares!
(Ah tibi contingant quæ Gentibus Otia præſtas,
Nec ſemper placeant Bella, Britanne, domi!)
Mutuam amicitiam exercent hoſtilia Regna,
Jam nimis haud Batavo, Galle, propinquus eris.
Sit, labor, ANNA, tuus, tua Gloria, fœdere Gentes
Tam male compoſitas jungere poſſe pari.
Bella ſilent ANNÆ auſpiciis, terraque marique;
Et placidos populos Otia tuta tenent:
Non ultra luſos flet Ruſtica Turba labores,
Arvaque Militibus depopulata feris;
Extremo rediens a mundi cardine, tutus
Jam premit externa Navita merce ratem
Omnibus ex æquo Pax utilis: ANNA, tuiſque
Commoda ab auſpiciis carpere cuique licet:
Ah pereat! quicunque, frui cum Pace dediſti,
Maluerit prædas ſtultus, & arma ſequi.

Edvard. Northey Coll. Regal. Commenſal. ad Menſam Soc. Fil. Nat. Minor Hon. *Edv. Northey* Eq. Aurat. Cauſ. Reg. Procurat. Gen. & Reginæ à Secret. Conſil.

PRE-

GRATULATIO

PRECIBUS vere regiis, Miniſtriſque
ANNÆ peritis, tandem depulſa exceſſit
Armorum rabies; Jani Templum occluſum eſt;
Mire decoras Pax tuta oſtendit formas;
Non lenes ſomnos graves corrumpunt curæ;
Extera noſtro non pingueſcit cruore
Tellus; clamores plateas nuſquam complent
Lugubres, nec palleſcit orbati vultus;
Fruges abundant; ceſſat nummorum Exactor;
Triſtes non metuit Debitor Calendas;
Sub ulmi denſæ molliter ſtrato ramis
Actos Triumphos, partas certando Merces
Dinumerare licet, & ſtrages nullas;
Prædator Gallicus magno edoctus ictu
Vicinas ſegetes dehinc vexare horreſcet;
Ad ſummum honoris apicem Bello evectam
Vim Anglicam ſuſpicimus: Nec tamen deſunt
Sanguinolentos protrahi qui æſtus vellent;
Qualis gens hominum dicenda vix noſco, at
In Pacem minus, in Prædam heu! Nimis apta.

Edm. Brome, S. T. B. Coll. Div. Joh. Evang. Soc.

UT cum minaci murmure proruens
Commiſit Euris Æolus Africos,
Pontumque de fundo refudit,
Æneadum meditans ruinam;
Simul profundi fluctibus æquoris
Rex juſſit alta voce ſilentium,
Venti ſilebant, Jamque blando
Æquora decubuere ſomno:
Sic æſtuoſos comprimis impetus,
Et ſæva belli fulmina: ſic tuo
Nutu feroces, ANNA, motus,
Sic lacerum moderaris orbem.
Quæ terra, vel Quæ flumina lugubris
Ignara belli? Funera conſpicor,
(O triſte ſpectac'lum) & Jacentes
Undique Semideûm catervas!

Eu!

En! ut procellæ Letiferæ tonant!
Signis minantur ſigna, viri viris,
  Teloque Telum! Jamque Rivi
    Tabo equitum, peditumque ſtagnant!
At O protervo læta negotio
Quouſque Erinnys lurida ſæviet?
  Quouſque funeſtis Enyo
    Exequiis maculabit orbem?
Ceſſate lites, ſpicula machinæ
Dormite leti; claude Inamabilem
  Gradive ſcenam; Quo Perennis
    Quo miſeros rapit unda belli?
Audimur! atrox Luctus, & æneis
Stipata centum Bella Furoribus,
  Iræque cedunt! Jam Garumna,
    Jam Rhodanus ſamulatur undis,
Doctus minores volvere vortices:
Tremiſcit oris Maurus ab ultimis,
  Teque, ANNA, juſtam, Te Potentem
    Compoſitis Veneratur armis.
Jam Gallicanus fœdera Pandarus
Multa ſubactus clade tuebitur,
  Nec ora mutabit revinctus
    Compedibus Manicisque Proteus.
Quod ſi cruoris non ſatis hauſeris
Mavors, ſagittas prome reconditas
  Enſemque defingas, In oras
    Odryſias, Arabumque Lunas.

Tho. Aſhby, Coll. D. Johan.
Soc. Commenſal.

UNDIQUE diffuſo complexa Britannia ponto
Terra potens armis, multiſque ſuperba triumphis
Impavidas alit uſque Animas, *Mortiſque capaces.*
Devictis olim Gallis, pulſiſque ſuperbis
Hiſpanis viguit Fama celebrata per Orbem.
Jamque memor patriae Laudis renovare Tropaea
Proſtratis ardet Gallis; infecta cruore
Arva, per obſtantes volitantem ſaepe catervas
Marlburium, captoſque Duces, & Marte ſecundo
Direptas Urbes noſtri cecinere Poëtae.

Saepe triumphali Pompâ Regina ſuorum
Gaudens plaudente inceſſit circumdata turbâ
Templa petens, meritoſque Deo perſolvit Honores.
Intonuit crebris Populi clamoribus Æther,
Undique collecti procedunt agmine feſto,
Sacra Deo peragunt: Pueri, innuptaeque Puellae
Effuſi ad citharae cantum duxêre Choreas.
ANNAE dilectum nomen reſonare ſolebant;
Et retulit latitans vicinis montibus Echo.
At Regina alias curas, nova pectore verſat
Conſilia, & Pacem quaerit, finemque laborum.
En obſtare tuis, Lodoix, conatibus auſa
Foemina, Te victum repetita clade coëgit
Cedere vincenti Palmam: cum tendere ſupplex
Coeperis Ipſe manus, & Foedera certa petebas;
Protinus hoſtiles reprimit Placata ſuorum
Aıdores, *mollitque animos, & temperat iras.*
Protegere oppreſſas gentes, cohibere ſuperbas
Hoc amat, & placidâ Mundum donare Quiete.
" Quid juvat immenſos, ait, uſque ſubire labores?
" Emptaque quid prodeſt Anglorum caede meorum
" Gloria, ſi nequeam ſaevas componere lites?
" Nec ſuadebat enim crudelia ſumere tela
" Laudis Amor caecus, nec fuſi dira cupido
" Sanguinis exacuit gladios: tenuare potentes
" Gallorum vires, nimiumque retundere faſtum,
" Hoc, Hoc audaces urgebat in arma Britannos,
" MEque reluctantem pepulit, varioſque timentem
" Eventus Belli, mille & diſcrimina rerum.
" Sed cum parta ſalus Bello, & depulſa pericla
" Europae populis ſuadent ut tela reponam,
" Horrendas nolo lites ſine fine movere
" Fruſtra, Fortunaeque vices tentare ſuperbas:
" Quin ſileant paſſim Gemitus, Luctuſque; tumultus
" Inſanos Belli reprimam, Martiſque furorem.
Dixerat, extemplo *redeunt Saturnia Regna,*
Aſpera compoſitis miteſcunt ſaecula bellis.
Nunc in amicitiam coëunt, & Foedera pangunt
Gentes, haud ſaeclis temere violanda futuris.
Ecce triumphantes redeunt, & vulnera jactant
Britones ardentes animis, & laude tumentes.
Jamque novas artes exercent, jam nova quaerunt

Con-

Conſilia, & dulces animis meditantur Amores.
Victorum Victrix formoſa Puella ſuperbit,
Gaudet & Heroas, quos nulla injecta movebant
Tela, nec adverſo glomerati ex agmine Galli,
Correptos molli tandem langueſcere Flammâ
Virgineis Oculis domitos, & Vulnere caeco.
Sic domat Angligenûm proles, cohibetque ſuperbos
Gallos, ipſa ſuis tandem domitanda Puellis;
Ponit & iratos animos, vultuſque minaces,
Et blandas voces, & mollia verba ſuſurrat
Foemineis animis grata, & ſuſpiria ducit.
Aſpirant votis blandae facileſque Puellae,
Solis & ardores paſſos, & longa laborum
Taedia Formoſae magna mercede rependunt:
Depoſitoque metu Sponſalia laeta Parentes
Expectant, Taedaſque parant, caſtoſque Hymenaeos.
Salve certa ſalus Populis, & grata Britannis
Pax manibus geſtans ramum frondentis Olivae.
Te pulſam revocat tandem miſerata laborum
ANNA peractorum, tutam ſtabilitque Quietem.
Jamque artes Pacis colere, & Socialia jura
Exercere, ſuoſque jubet Florere Britannos.

Geo. Fenwick, A. M. Coll. Div.
Johan. Socius.

Ad Lyram a Se recèns inventam.

O Graves æſtus animi tumentis
Blande centenis cohibere nervis,
Dic age, *intactum* recinatque Camus,
Barbite, *carmen:*
Cujus ad ripas vacuum reviſit
Phœbus aurata citharâ decorus,
Et *novo* pulſare dedit canoras
Pectine chordas.
Tu potes Mauri rabiem leonis
Flectere, inſanus tibi cedit Auſter,
Et ſilent raucis agitata ponti
Murmura ventis.

Civium

Civium tandem fera corda mulce,
Queis furor linguas acuit rebelles,
Tetra queis Diſcordia felle pectus
Imbuit atro.
Dum tubæ clangor, Britonum feroces
Quæ ſolet mentes furiare in arma,
Perſonet lætum moderantis orbem
Laudibus ANNÆ.
Audient gentes ſub utroque mundi
Axe, quid nutu potuit timendo
ANNA, quid pollens animo ſagaci Har-
leïus ingens;
Frangat ut Martis rabidi furores
Alma Pax, mœſtaſque ſerenet urbes,
Aureo & terris redeat ſuperba
Copia cornu.
It comes Virtus, rigidus ſatelles
It pudor caſto ſpecioſus ore,
Et Fides, & Fas, Pietaſque puro
Splendida amictu.

R^rus *Long*, A. M. Aul. Pemb. Soc.

Ad Nobiliſſimum Virum ROBERTUM HARLEIUM &c. *Magnæ Britanniæ Theſaurarium.*

DUM tu Brittannæ invigilas, Harleie, ſaluti,
Sanguine nec nimio parta tropæa probas;
Dum mundo, atque Tuis, magnæ felicibus ANNÆ
Auſpiciis Pacem conciliare ſtudes;
Fruſtra grandi obſtat turba importuna labori,
Mille moras nectens callida, mille dolos:
Nam tua, ceu Palma ingenti ſub pondere ſurgit,
Quo magis oppreſſa eſt, floret Oliva magis.

Hen. Drax, Coll. Magd. Socio
Commenſalis.

NYN

ΝΥΝ ςυγερῆ Πολέμοιο μῆρ', ἠ δῆπ' ἀκόντων,
Συείγων τ' ὀνοπὴ, καὶ ἀρήια ἔργα πέπαυ',
Μηκέτι λυγραίης Βρεττάννις γαῖα θελάμβης,
Καὶ φόνον ἡμιθέων αἰάζεις ἄγελον ἀνδρων.
Τίς πότ' ἄνευ δακρύων χαλεπαῖς δύναι' ἐν πραπίδεσι,
Δεῖνον ἐπισκέπτειν ἔργον Βλοσυρώπις Ἄρηος;
Ὤι μέλε Ἀσκροπὴ χορύθων ὅμαδός τε, Ϛ αἷμα,
Περθόμεναί τε πόλεις, αὐτή τε, Πτόλεμοί τε.
Τὸν δ' ἄτον πολέμοιο κακαῖς ἐδαμάσσαλο Πλήγαις
ΑΝΝΑ, φάος κόσμε, χαλκείοις δῆσέ τε δεσμοῖς.
Ὡς ὅτε μὲν Δαναῶν ξιφέι κλονέεσκε φάλαγγας,
Ἔῃχεϊ χαλκείῳ καθαμύξαλο Πάλλας Ἀθήνη.
Δηθὰ βίη κρατερὴ πολέμοιο σκίδναι' επ' αἶαν,
Ὀλλύντων τε καὶ ὀλλυμένων ὀρυμαγδὸς ὀρώρει,
Δήθ' ὀλοφυρόμενοι παίδας σεναχοντο τοκῆες
Κτεινομένους, παῖδές τε τοκῆας μηκέτ' ἐοντας.
Ἀλλὰ σὺ μὲν Βασιλίσσ' ΑΝΝΗ πολύφημος ἔδωκες
Εἰρήνης Ἀγλοισι μέμεν ἐν ἀπήμοσι θεσμοῖς,
Δυσμενέων τροφύγοισα μόλον, πολέμου τε θυέλλαν.
Ὡς ὁτὰν ἰς ζεφύροιο κὴ ἀργέσαο Νότοιο
Ὄρνυ', αἰγιαλῷ βρέμει εὐρέα νῶτα θαλάσσης,
Νωλεμέως, ἰάχει ὕλη, τρομέει δὲ κάρηνα
Ὑψηλῶν ὀρέων, φρίσσει δέ τε γαῖα καὶ ὕδωρ
Νήσου, ἐξ ἀνέμοιο πολυπλάκτοιο ἰωῆς·
Ἀλλ' ὅτε βένθος ἁλὸς πολιῆς λείψασ' Ἀφροδίτη
Φαίνε', ἡσυχίη πόντος, καὶ κύματ' ἀτάλλει,
Γηθοσύνη τε καλῆς θαυμάζε' ὄμμαθ' Ἀνάσσης.

Francis Revel, Aul. Pemb. Alum.

ADVENIT expectata, magis Pax grata morando:
Hac mercede moræ, quæ tenuere, placent.
At quiſnam Europæ Gentes ſocia arma ſecutæ
Vanus ſollicitat pectora veſtra timor?
Quid pacem amplecti auſpiciis dubitabitis ANNÆ,
Sub queîs Mavortis tam bene ceſſit opus?

GRATULATIO

Ecquis ſanguineas optet crudeſcere pugnas
Immemor, illuſtres quot cecidere viri?
Nunquam erit Europæ Libertas ſalva, putetis,
Dum ſint Borbonia Gallica ſceptra manu?
Fruſtra igitur Batavi poſcunt munimina; Gallus
Fruſtra urbes Batavis tradidit ultro ſuas?
Ipſe dedit Lodoix quo ſe defendere poſſint,
Si quas intentent ſæcla futura minas?
Gaudete O Batavi! vos munera pacis amatis;
Vobis ante omnes merx peregrina placet.
Clauſtra tenent Jani portas & mille catenæ;
Flandria, ſed veſtras jam ſera nulla tenet.
Miles Io! redit a caſtris: jam projicit arma,
Atque relicta diu rurſus aratra petit.
Gaudete Angligenæ! tandem ſua commoda curat
Anglia; neglexit rem ſatis illa ſuam.
Jam Nautæ tendant ventis ſinuoſa ſecundis
Carbaſa, Pacifici qua tumet unda maris:
Hinc aurum, reparet quod opes, impendia belli
Quas longi hauſerunt, claſſis onuſta ferat.

Gul. Norton, A. M. Coll. Regal Soc.

VENISTI tandem? tuaque exoptata tuemur
Ora iterum, Pax alma! iterum Te mœſta fruetur
Anglia? Te lento colliſa Europa duello?
Nec fretam auſpiciis ANNÆ divellere noſtro
Amplexu externæ potuit fallacia gentis,
Incaſſumque moræ nexæ; vel prava jubentum
Ardor, & inſanas agitans Diſcordia mentes?
Quo vero! quo, magna Hoſpes, poſt multa ſuorum
Funera, poſt ſumptum ingentem, varioſque labores,
Excipiet digno ſervata Britannia plauſu?
Quid, Regina, Tibi meritis pro talibus unquam
Reddemus? Dii dent grates, & præmia ſolvant!
Pacatuſque tuos Orbis teſtetur honores,
O Decus Angliacæ gentis, dum Pacis amœnæ
Florebunt artes, & Pacis amabile nomen.
Nec Te, ſancte Pater, cura indubitata Deorum,
Mœnia Trajecti Quem noſtris invida terris
Præſidium Europæ ſervant, volvenda tacebunt
Sæcula.

Sæcula. Te ſquallens incomptis Suecia campis,
Juſtitiam mirata gravem; Te grata loquetur
Gallia; crudeli Te functa Hiſpania bello;
Te Batavus; Martiſque truces experta furores
Flandria; conſiliis claro, cui plurimus (olim
Dicetur) Rex imperii commiſit honores,
Fortunaſque ſuas: ante omnes læta ſalutat,
Maturumque petit reditum, nec dum Anglia Pace
Expletur ſine Te. Cur gaudia noſtra moraris?
Uſque adeo incumbis ſtudio? gentique Britannæ
Conſulis? & Paci, quam nondum percipis Ipſe,
Invigilas? quanta hæc Virtus! Sic fama Catonem
Deſerta errantem Libyæ, ferventia regna,
Militibus memorat fontem oſtendiſſe, ſed Ipſum
Extremum guſtaſſe inventi pocula rivi.
Reſpice ſollicitos pro Te, Vir magne, Britannos;
Proximus & nobis cum cælo condere pacem
Sit labor, ac pravo reduci ſuccurrere ſæclo.
O fortunati nimium! quid quæritis ultra
Perverſi Cives? & tantis invida rebus
Seditio? non eſt toties cur fulminet armis
Malburus, egregius quantumvis Marte ferocem
Contuderit Gallum: luimus crudelia belli
Supplicia, ingentes & deſolavimus urbes
Deſolati ipſi: teſtatur Iberia luctus; ——
Nec ſemel Angligenûm ſpumavit ſanguine Moſa:
Quos Scaldus premit Ille Viros! — Arteſia vidit
Lumina quot cecidiſſe Ducum! — gemit omne ruinis
Oppreſſum latus Europæ, queriturque (nefandum!)
Luxuriare agros humano ſanguine, nec jam
Cultores ſupereſſe. —— En! hæc Mavortia, Cives,
Gloria? Fas quærat diverſas Patria laurus
Nec bello fictum, verum at de Pace triumphum.
Regna neque Heſperiæ, ſemper cedentia retro
Prendimus: Heſperiæ, quibus hoc, Fortuna, dediſti,
Cedatur ſolium: nil fata adverſa moramur.
Nec raptas queritor palmas, avulſaque regna,
Quin proprios, Germane, velis defendere fines;
Neu rurſum infidos belli tentare tumultus,
Bleinhemiaſque acies; quo ſi Brittannica virtus
Ceſſerat, Auſtriacas Miles veniſſet ad arces
Celticus, & verſis fleret Germania fatis.

Non

GRATULATIO

Non tibi jam rerum facies inviſa tuarum,
Culpatuſve Anglus, ſed ſumma potentia Cæli
Abnuit, Hiſpanoque vetat confidere regno.
  Aſpice ſublatas librato examine lances,
Quas Deus ætheria ſignum ſublimis in arce
Extulit, & triſti juſſit ſecedere bello:
Illic fortunamque tuam, vireſque Philippi
Cognoſcas licet, & quo vergat pondere fatum.

Gilbertus Burroughs, Coll. Regal. Soc.

PACIS opus Mundo meditata eſt ANNA petenti;
  Atque imploratum juſſit adeſſe Diem.
Sit ſacer ille Dies! blandi ſtent Aere venti:
  Et placida in Vernis dormiat Aura roſis.
Audierim nullos tam fauſta luce tumultus,
  Sint, Pater, & cæli regna ſerena tui.
Cælum, Magne, regas: Tellus nam paret ubique,
  Et Tua jam totis ANNA timetur Aquis.
Tuque O Cara tuis, proles dilecta Stuartum,
  Ultima quæ a magno ſceptra tueris Avo!
Sume triumphales Currus, & in ora Tuorum
  Sæpe loquenda, olim, ſæpe roganda, Veni.
Nunc O, nunc oculos liceat ſatiare videndo
  Præſentem, Æternæ te Decus Hiſtoriæ.
Nonne vides, venit ad celebrem nunc æmula Pompam
  Iſis; & Harlæi jure, ſuperba venit.
Et *Duce* Læta *ſuo*, quamvis Tibi proxima longe
  Succedit currû proxima Granta tuo.
Ante volans (dulci quantum ſub pondere fas eſt
  Nam gemini Infantes Ubera plena gravant)
Spargit opes, ſpargit ſuaves Tibi *Copia* odores,
  Lilia, vos pedibus, Te quoque Laure, Comis.
Accenſaque *Fides* tæda præmonſtrat Eunti
  Greſſus; & *Pietas* ipſa miniſtrat iter.
At *Fama*, æternum quæ nunc tibi ſerviet Uni,
  Solum hinc imperiis officioſa tuis,
Auguſtæ ſuper arce ſedens, gaudentibus Indis
  Auditam & Medis perſonat ore tubam.
'ANNA Duces Regeſque gravi diſcedere Bello,
  'Tam ſibi quam cunctis Imperioſa, monet.

'Illa

'Illa prior, prior Illa, genus quæ ducit Olympo
'Parcit; & innocuas abſtinet alma manus.
'Hinc petite exemplum, fera vos mortalia corda;
'Quæ tanta in ſterili pulvere Fama viret?
'Fortis ad arma venit, venit *hæc* ſed candida Dextra,
'Si furit, Infelix, dum furit, odit opus.
'Odit, & innumeras teſtatur mœſta per umbras:
'Humanus ſanguis res pretioſa nimis.
Ergo, magna, Tibi æternum *ſtant* Oppida Nomen;
Inque tuam Hiſtoriam Rura diſerta virent.
Hoc Natura velit, Zephyruſque emat omnibus Auris;
Hoc tu Concordi lumine, Phœbe, vides.
Sic te Sic decuit *Laudari*; creſcite ſilvæ,
Et ſuavi eloquio floreat omnis ager.
Infantumque manus ludentum ad limina prima,
Et fuſa ad patrios Ruſtica Turba Lares;
Cælo eductæ ædes, & ſtratum Navibus Æquor,
Hæc ſint imperii libera ſigna tui.
Sis longum O felix Populi ſanctiſſima Mater,
Hoc nos; Hoc Mundi publica Vota rogant.
Uſque tuæ creſcant (poſſunt hæc) tempora vitæ,
Et qui non poterit creſcere, Conſtet Honos.

Gulielmus Bateman, Coll Stⁱ Petri Socio Commenſalis, & *Jacobi Bateman* Equitis Aurati Filius natu maximus.

Ad REGINAM.

QUIS numeroſa Tui referat miracula Regni,
Aut poſſit digna Te celebrare manu?
Pingere quis valeat varios ſine fine Triumphos?
Ingens Mæonidis, grande Maronis opus.
Tu Pacis Bellique potens; victoria Tecum
Pugnat, dum Sceptro pax ſedet, ANNA, tuo.
Vincere cum poteras, Victrix diſcedis ab armis,
Et felix jam Te non timet Orbis, amat.

J. Paris, A. M. Trin. Coll. Soc.

CLANGOR Tubarum ſat miſerabilem
Vexavit Europam, inter & aſperos
Martis laborantes tumultus
Sat timidæ ſiluere Muſæ.
At nunc Camœnæ, plectra ſonantia
Movete lætæ, nunc temere modos
Tentate inæquales, meloſque
Dulciſonis iterate chordis.
Pax ecce! feſſo mitior aſpici
Affulget orbi, jamque Britannicos
Colit receſſus, & ſub ANNÆ
Auſpiciis Dea pulchra prodit.
Bellis ſecundos reddidit exitus
Regina victrix, fœdera Galliæ
Dedit paventi, & corruentem
Compoſuit ſine clade Mundum:
Te non timentis funera Belgiæ
Duræque tellus audit Iberiæ,
Minis remotis, inque pacem
Depoſitis coeunt duellis.
Sed auſpicatæ regna Britanniæ
Pax lætiori conſpicit omine,
Dum fœderatas ANNA gentes
Imperio moderatur æquo;
Illam Salus, & candida Fauſtitas
Illam refertis Copia cornubus
Stipant ovantes, Gratiarum
Atque hilaris comitatur ordo:
Sic quando Latmi per juga Cynthia
Ducit choreas, undique Montium
Nymphæ ſequuntur, geſtiuntque
Pacificam celebrare pompam:
Aut quando ſedes Idalias Venus
Decora viſit, Mille Cupidines
Volant per aures delicato
Agmine, conveniuntque Divam.
Fallor? reverſos an video duces
Multo decoros pulvere, nobili
Palmaque, gaudentes & ANNÆ
Ante pedes poſuiſſe laurus.

Fallorne?

Fallorne? cerno an fœderis Arbitros
Jam navigantes littore Belgico
  Velis ſecundis, atque ramis
    Tempora Palladiis revinctos.
En! en! Britanni vocibus undique
Lætis triumphant, plauſibus Inſula
  Sonat canoris, gaudioque
    Attoniti ſalit unda Cami.
Sic poſt Gigantum cælicolum Pater
Subegit iras vindice fulmine,
  Sedes Deorum murmurâre
    Lætitia ætherioque plauſu.

Guil. Clarke, Coll. Div. Johan. Alum.

Ad Honoratiſſimum Dominum Dominum ROBERTUM *Oxonii Comitem, & Comitem Mortimerum, Summum Magnæ Britanniæ Theſaurarium.*

PACIFICOS inter Princeps numerande *Beatos*,
  Accipe, quæ *Paci* carmina Granta Sacrat.
Accipe parva licet, nec munera parva recuſes,
  Dicitur & ſummo Far placuiſſe Jovi.
Pallada noſtra tuam comitetur Muſa, perennes
  Et Citharam in laudes pulſet Apollo tuas.
Munera det Phœbus, nec reſpue, ſi gerat arma,
  Scalpellum lateri non parat ille *tuo*.

Ph. Foley, A. M. Coll. Sti Petri Soc.

Ἀθανάτην βασίλισσαν ἀείδετε πάντες ἀοιδοὶ
  Μουσάων θεράποντες ὁμόφρονες, ἡδυέπειαι
Μοῦσαι Πιερίδες Χαριείδετε, Φοίβου ἀοιδῆς
Ἀρχόμενοι λιγυρῆς ἔσω πάντεσσιν ἀγήτωρ·
Δεῦτ' ἄγετε ξυνὴν Ἄννην ἐντύνετε μολπὴν,
Σὺν δὲ νέοι ἠίθεοι, καὶ παρθένοι, ἠδὲ γέροντες·
Βριθιάδαι, νῦν ὔμμι φόως καλλιγον ὄρωρεν,
Ἡσυχίαν ἀπάνευθεν ἀέννaον ὔμμιν ἄνασσα,

Εἰρήνην

Εἰρήνιν καλιώντε καὶ ἠϋθέμεθλον ὄπαστεν,
Ὕμνῃ Μῶσα λιγεῖα θεοῖς ἐπείκελον ΑΝΝΗΝ.
Εἰρήνιν ἔσπετε διάμπερες ἤματα πάντα,
Νώλεμες ὄφρα μιν, ἵνα τ' ἄφθονα πάντα παρέσω,
Χάζεσθ' οἷσιν ἔρις τε φίλη, πόλεμοιτε, μάχαιτε,
Ὅς τούτων ἔρχεται ἀθέμιστος ἀνέστιός ἐστιν,
Παρ δέ μοι εἰρήνη, καί μιν θέμις ἧσι φιλήσω.
Αἴνῃ Μῶσα λιγεῖα θεοῖς ἐπείκελον ΑΝΝΗΝ,
Ἁρπαλίων πάντας θ', οἳ μιν βιηφόροι ἦσαν,
Οὓς διὰ πεσσοῖσιν ΑΝΝΗΣ ἐτελείετο βιλή.
Ἦδε κακῶν ἀνδρῶν μάλ' ἀνήνατο μήδεα πυκνὰ
Εἰρήνιν πιμπλῶντε φέρεσθ' εἰς πατρίδα γαῖαν.
Ὕμνῃ, Μῶσα λιγεῖα, θεοῖς ἐπείκελον ΑΝΝΗΝ
Παύσατο γὰρ βεβλόλοιγον Ἄρηα ἀνδροκτασιάων·
Μὴ κλόνον ἠμετέρην κραδίην, μὴ τάρβος ὀρίνῃ,
Εἰρήνη πάντας ζωννύσατο ἠδεῖ δεσμῷ,
Εἰς ἑτέρην γαῖαν ἐτράπετ' ἔνθι Ἄρης;
Ὕμνῃ Μῶσα λιγεῖα θεοῖς ἐπείκελον ΑΝΝΗΝ.
Καμπάδες Νύμφαι ὅπα λειριόεσσαν ἰεῖσι,
Νῦν γὰρ ἰδὲ ἔαρ ἦλθε, παρώχηκεν δέ τε χεῖμα,
Σκιδναμένων πολέμου νεφέων ἀνεδέδρομεν αἴγλη,
Ὥρη μὲν φίλη ἦλθε, γέλασσε δὲ πᾶσα θέα χθών;
Ὕμνῃ Μῶσα λιγεῖα θεοῖς ἐπείκελον ΑΝΝΗΝ.
Παντοίαις ἀρεταῖς διακόσμεῖς φῦλα γυναικῶν.
Πασάων θέα τ' ἔστι νόῳ, θέα τ' ἔστι καὶ ἔργοις,
Νῦν δὲ τὸ δὴ μέγ' ἄριστον ἐν Ἀγλαΐοισιν ἔρεξας,
Καί σε θεοδέα πάντες ἐπαινήσουσι γυναῖκα,
Ὕμνῃ Μῶσα λιγεῖα θεοῖς ἐπείκελον ΑΝΝΗΝ.
Εἰρήνη τεθαλυῖα τεοῖς ἐνὶ δώμασιν εἴη
Εἰν αὐλῇσι τεῇσιν ἅμ' εὐθενίῃ ἐρατείνῃ
Αὐτοκασιγνήτῃ εἰρήνης ἱμερόεσσης·
Καὶ Σοὶ δῶρα θεὸς, θαλίωντε, χάροντε, διδοίη,
Ὄλβον, καὶ πλοῦτον ζωήντε διάμπερες αἰεί;
Ὕμνῃ Μῶσα θεόντε, θεοῖς τ' ἐναλίγκιον ΑΝΝΗΝ.
Κέλθοι, καὶ Βρεττανοὶ, Βέλγαι ἄλλοί τ' ἐπίκουροι,
Πάντες ὅμως ὑμνεῖτε, καὶ ΑΝΝΗΝ κλείετε πάντες,
Αὐτὸς δ' ὁπωτέ μοι Κοῦραι Διὸς ἴσορες ὠδῆς

Ἐλθοῦσ'

Ἐλθὼν εἰς ἦτορ λιγυρῇ ἐδίδαξαν ἀοιδῇ,
Κίστῳ καὶ Δάφνῃ κρητάφυς πεπυκασμένῳ ἄκρυς,
Φόρμιγγι γλαφυρῇ καλὸν μέλος αἰὲν ἀείζω.
ΑΝΝΗΣ ἀντιθέου ἀρετῇ βύλας τε στωμύλων
Εἰρήνῃ γλυκερῇ πρῶτόν τε καὶ ὕστατον ἄσω.

Johannes Price, Trin. Coll.

Ad Epiſcopum BRISTOLIENSEM *Privati Sigilli Cuſtodem.*

HACTENUS Arma, graves Claſſes, Palmaſque cruentas
Heroo cecinit Martia Muſa pede:
Nunc Argumentum numeris levioribus aptat
Mollius; & Pacem Pacis Alumna canit.
Quid potius canerent Muſæ, Quid Præſes Apollo,
Quam per quod Muſæ, & Præſes Apollo vigent?
Pace vigent Artes omnes: Heliconia Turba
Hinc acres animos ducit, opeſque ſuas.
Ite leves Nugæ Sacras ad Præſulis aures
Verbaque Honorato ferte legenda Viro:
Cui prius Hos cantus, & Tenvia Dona feramus,
Quam Tibi, Qui hæc Nobis Otia tuta facis?
Tu modo, per Quem parta Quies optabilis Orbi
Ductu ANNÆ, & magni numinis auſpiciis;
Cujus ab Ore ſuis petiere Oracula rebus,
Fata requirentes Corde micante, Duces;
Jam, poſtquam Eximia perfunctus munere laude
Explêris, Tibi quas credidit ANNA, vices;
Arride o facilis, tenues nec ſperne Camenas,
Noſtraque non dura Carmina fronte legas.
Illa quidem Veſtros oculos indigna morari,
Neve ſatis cultis auribus apta ſonant;
Qualiacunque tamen, Vota inter Publica, Noſtras
Teſtantur grates, Officiumque pium.
Et Nos Tecum Ingens æquor tranavimus, & Nos
Pars ſumus e numero quantulacunque tuo.
Quali ego Te vidi perferre Tenore labores;
Tempora nec lucis credere longa Satis;
Communem dum proſequeris ſine fine Salutem,
Inque pio Patriæ pectore Cura ſedet?

GRATULATIO

Vota Catenatæ implerunt jam publica Curæ,
Et Finem Pietas attigit Illa ſuum.
O tandem Dimitte Labores! incipe tandem
O Requie, Terris quam facis, Ipſe frui!
Et poſt Europæ deciſa Negotia, poſtque
Conſtabilita Orbis Fata potente Manu;
Dilectos Tibi jam Britonas, Patriamque reviſe:
Conſilium Harleius poſcit, & ANNA Tuum.
Ante Omnes poſcit Veneranda Eccleſia Mater,
Teque decus ſperat, Præſidiumque ſibi.
Illa dolet, lacrymis Oculos ſuffuſa decoros,
Et Briſtolenſem plorat abeſſe ſuum.
Supprime ploratus: venit, & pretioſius illo
Fert ſpolium Æſonides Colchide quod retulit:
Fert Pacem, Paciſque perennia gaudia, fert *ſe*:
Nil deêrit votis Hoc veniente, Tuis.
Hoc Rectore olim Caput altum ad ſidera tolles,
Cujus, juncta Mitræ, lambit Oliva Comas.

Exton Sayer, LL. B. Aul. Trin.

ERGONE tam lenti poſt tot diſcrimina belli,
Poſt emptas Britonum generoſo ſanguine laurus,
Pax noſtras ſero quamvis reſpexerit oras,
Reſpexit tamen? & longo poſt tempore venit?
Ergone venturæ ſpecioſo nomine Pacis
Deluſi toties, toties mox affore divam
Admoniti, (ſemper retro dum cedere viſa eſt)
Nunc ipſam fidis oculis, nunc pectore toto
Complexi accipimus? præſentiaque ora tuemur?
Jam tandem patet O ſuperi quid vincere proſit,
Quidque juvet captos oſtendere civibus hoſtes;
Nec querimur ſteriles laurus & vana tropæa.
At vos O patriæ columen, vos nomina Gallis
Formidanda, Duces, victricia ponite tela:
Sat patriæ ſociiſque datum eſt: ſi Gallia telis
Subverti poſſet, veſtris ſubverſa fuiſſet.
Jam bene geſtarum fructus decerpere rerum,
Jam liceat vacuis cura bellique tumultu,
Gallorum memorare fugas veſtroſque triumphos.
Hinc jam longinquis toties effuſus in oris

Tutus

Tutus in Angliaco labetur pectore ſanguis.
Nulla vices belli mater damnabit iniquas;
Nulla ſoror patriæ ſucceſſus mœſta videbit,
Et conſanguineo pretioſas funere palmas.
At cur tot mœſti media inter gaudia vultus?
Cur præſagia dira, atque illætabile murmur,
In vice tam læta, tam Divûm Numine plena?
Quid Petis, Angliaci proh prodiga turba cruoris!
Uſque adeone juvat rigidum producere bellum
Dum nil reſtiterit parta quo Pace fruamur;
Et propter pugnam pugnandi perdere cauſas?
Finge etenim noſtra ſemper ſine clade triumphos
Affore, ſucceſſuſque novis ſucceſſibus auctos,
Ecquid ab everſo peteretur grandius hoſte
Quam quod finitis Pax ultro cladibus offert?
At vobis ſemper fixum immotumque ſedebit
Credere nil rectum, nil non fatale Britannis,
Quod vigil Harlæus ſollerti e pectore promit.
Diſplicet ipſa ſalus, non rerum copia dives,
Non ſecura Quies, & apertis Otia portis,
Indivulſus Amor, Commercia ſparſa per orbem
Hoc Auctore placent. Scelera ipſa nefaſque placebunt
Harlæi tantum fidis conatibus obſtent:
Et dabitur ſica vel graſſatrice mereri
Et veniam & laudem, inviſam ſpirantia Pacem
Pectora dum feriat. Tanti eſt placuiſſe nocendo.
Talia jurati coeunt in fœdera Pacis
Harlæique hoſtes, hinc tot mendacia, Rumor
Ditus in vulgum, meſſiſque ter ampla, libelli
Heu nimis incautum nati captare popellum:
Huc referas quodcunque moræ eſt, his artibus alas
Tardarunt Pacis, ſed non his artibus alas
Præcidiſſe datum eſt. En advolat Aurea Virgo,
Quam placide ridens! en queis ſtipata miniſtris!
Cana Fides, & Veſta, oræ tutela Britannæ
Fauſtus adeſt Genius, ſpicis redimita capillos
Flava Ceres, variiſque oneratus mercibus Hermes.
Sic maneat comitata diu, comitata diuque
Si per vos liceat, Gens irrequieta, manebit.

C. Snape, A. B. Coll. Regal Soc.

Ad

GRATULATIO

Ad Epiſcopum BRISTOLIENSEM.

TE, dulce Pondus, Quum ſibi creditum
Pacis miniſtrum per placidas aquas
Vexit Phaſelus, Fauſta fertur
Sic Thameſis ceciniſſe Fata.
Fruſtra minaci murmure Buccina
Perſtringit aures; concitat horrida
Ad Bella nequicquam Juventæ
Pollicitus ſpolia ampla Mavors:
Fruſtra Impiorum Turba Rebellium
Obmurmurant, & dedecus in ſuum
Obſtare Paci moliuntur
Invidiæ ſtimulata Telis:
Turba rebelli & Marte potentior,
Tibique & ANNÆ difficilem licet,
Pacem reduces clariorem,
Et lacerum recreabis orbem.
Europæ ovanti quæ nova Gaudia
Ventura cerno! jam rabiem ferox
Miles reponet, jam remittet
Martis opus Gladiumque condet.
Heroi in umbram ſurget amabilem
Oliva florens, cui ſua Brachia
Frondeſque conjunget rigata
Sanguineo ſatis imbre Laurus.
Nunc & colono larga fidelibus
Inſurget agris Meſſis, & otio
Dulci fruetur membra Paſtor
Ilice ſub patula reclinans.
Britanna claſſis per mare cærulum
Merces reducet littore ab Indico,
Et Patrias longe petitis
Divitiis cumulabit urbes.
Majora cerno. Sub Duce Te lubens
Terras reviſet Juſtitia & Fides:
Et rurſus antiquum nitorem
Relligio rediviva ſumet.
Dum victa Magnæ Gallia Fæminæ
Sentit Triumphos, Vindice Dextera
Firmantis Europam, decuſque
Imperii bene ſuſtinentis.

Chr. Lantrow, A. B. Coll. Div. Joh.

DUM

Dum pedibus, Regina, tuis ſua Vota, Preceſque
Anglia ſubmittit, dum circumfuſa frequentat
Tota Europa tuam ſtudiis ardentibus Aulam;
Accipias, Regina, tamen non ultima, ſpero,
Munera Muſarum, & tandem tua Tempora circum
Victrices inter Lauros nunc ſerpat Oliva.
Vos Superi, Tuque ANNA jubes; Pax miſſa per Orbem
Impia ſanguinei compeſcit Limina Jani,
Genteſque incipiunt poſitis miteſcere Bellis.
Non metus hoc ſuadet, non tarda ad prœlia Virtus;
Ipſi concedant Hoſtes, Extremaque Tellus,
Quid Tua Dextra poteſt, quantas Brittannica Virtus
Dat Strages, quantæ nobis in prœlia Vires:
Sed Patria Ecce vocat! Bellis attrita requirit
Patria ſecuram nunc ſola in Pace ſalutem!
Quo nobis nam parta fuit Victoria? nobis
Læta tulit tandem quid tot Fortuna per annos?
Senſimus Heu! fruſtra Præſentia Numina, fruſtra
ANNA Triumphatum Victricia ſigna per Orbem
Extulit; obruitur mediis Brittannia Palmis
Quæſitiſque aliis propria Virtute Triumphis.
Non Sic Bella placent, non Hæc ad prœlia Merces;
Hoc vobis, pugnæ Cupidi, lentique Duelli,
Hoc vobis fiat Pretium, quibus utile Bellum,
Et poſita eſt in Marte ſalus; Jam funere raptæ
Tot Fortes Animæ, transfixaque Pectora ferro
Heu! ſaltem nobis redimant pro ſanguine Pacem;
Credite jam Belli, & Cædis ſatis eſſe; ubi Nobis
Noſtra perit Virtus, atque arma Britannia victrix
Fert manibus damnata ſuis: cum Patria ponit
Arma, deeſt armis tum cauſa; deinde ſecundos
Nec Fas eſt ſperare Deos: pro legibus arma
Si geritis Patriis, & Majeſtate tuenda,
Ite bonis avibus; ſi Publica Commoda, ſi Vos
Ducit Amor Patriæ, adverſis date funera Caſtris:
Sed vobis non Iſte Labor.——Quæ vincere novit
ANNA, etiam victis novit concedere Pacem,
Europæque Iras media componere Dextra;
Hinc erimus, non Marte magis, quam Pace timendi,
Hinc Bello emeritis dabit Utraque Pallas honores.

GRATULATIO

Quærite Vos, *Patriæ*, pugnas & bella, *Parentes*,
Vulneribus Fratrum propriam Firmate ſalutem,
Immemores Pacis ſtudii;——ſed Gloria nobis
Hæc erit, Hæ nobis partes; Educere cælo
Neglectis Nova Templa Deis; in Fœdera Gentes
Unire, & nunquam communi de'ſſe ſaluti;
Otia non ignava referre; Arteſque ruentes
Tollere, & Exulibus nova condere Mœnia Muſis.

Gulielmus Antrobus, Coll. Regal. Soc.

PONITE tela, diu Galli dixere, diuque
Dixere Angligenæ, ponite tela manu.
Quod petiere utrique diu, tandem ANNA peregit,
Tandem, quod cupiunt, Gallus, & Anglus habent.
Jane Pater, Regina Tui jam limina Templi
Clauſit, &, ut maneant limina clauſa, precor.
Non eſt, cur Martem extendat Brittannia, belli
Nec quæ juſta fuit cauſa, perennis erit.
Vos O! Heroes ſi ſint qui ſanguine gaudent,
Et quibus eſt ludus flebile Martis opus;
Vos procul a Nobis, procul ite ad Turcica Caſtra,
Illic Relligio eſt nulla, nec ulla fides;
At nobis eſt ANNA, Dei & pietatis imago,
Defenſor fidei, & Relligionis amans.
Illa ſalutiferæ laurum poſtponit olivæ,
Nec ſuperare armis, ſed pietate ſtudet.
Juſtitiam colit ANNA, feri non Martis honores,
Hanc gaudet titulis inſeruiſſe ſuis.
Bella gerant aliæ gentes, populique furentes,
Sed placidam Pacem Terra Britanna colat.
O Tu, Quæ Scotos junxiſti fœdere quondam,
ANNA, & nunc Gallos jungis amore pari,
Tu populos unire tuos enitere; Bella
Cum ſint nulla foris, ſint quoque nulla domi.
Turpe eſt, quam nequeunt externæ perdere vires,
Anglia ſi pereat viribus ipſa ſuis.

Edw. Wells, Coll. Regal. Soc.

O Queîs futura in ſaecula prorogent
Plenis honorum muneribus Tuas,
Regina, virtutes Britanni?
Succubuit nimio retuſus
Fulgore rerum, difficili nimis
Penſo laborans, ingenii vigor,
Mentiſque robur. Ne Columnam,
Arte potens, ſtatuas minorem.
Tractus per altos aetheris ardua
ANNAE vagatur fama; per atria
Caeli pererrat nota virtus
Unde animos & opes reſumit.
Quid Marte poſſit, ſenſit Iberia;
Te Copias, Te conſilium, & preces
Praebente Caelis, ANNA, gratas,
Monmuthius metit enſe turmas.
Urgente fato erepta Batavia,
Rhenuſque tutus milite jam Tuo,
Tinctuſque Gallorum cruore
Danubius, celebrant perennes
Victorias, mercedem animi pii, &
Intaminatae juſtitiae. Tuo
Laetabitur Martem furores
Arbitrio poſuiſſe proles
Auſtralis Indi; jamque receptui
Audit ſonari, enſique recondito
Rubiginem, potor fluenti
Auriferi Libycus, precatur.
Civilibus paene obruta fluctibus,
Tranquilla ſtas, emerſa Britannia;
Immota ſicut Delos olim
Arcitenente ſtetit revincta.
Velata pannis priſca redit Fides
Albis; olivam Pax niveis ferens
Inſtat quadrigis; & ligatis
Conſequitur manibus Tumultus.
Exul diu, ſopita reſuſcitas
Tandem Britannis gaudia, amabilis
Concordia; inſpiras amores
Litibus ac poſitis, Cupido.

GRATULATIO

Armenta permulta ſobole augeas,
Agros reviſens, candida Fauſtitas;
Plenoque tu cornu replebis,
Copia, laetitia colonos.
Tritonii ſacra Veneri chori
Concha canentes nomen amabile,
Gratantur ANNAM temperantem
Oceanum, dominamque Terrae.
O ſi daretur carmine munera
Cantare Te digno populis Tuis
Quae Tu dediſti, fata ludens
Integer haud morerer; ſuperſtes
Miſcerer aevi principibus viris
Carus futuri. Quin, *Prior* optime,
Haud ſordidus tu Pacis auctor
Munera perpetuare poſſis.

Johan. Newcome, A. M.
Coll. Divi Johan. Socius.

Ἧστο Παΐς Κρονίωνος, ἀπ' Οὐλύμποιο καρήνων
Γλῶ καλιδὼν, πεδίον τε, ὅπᾳ ποτε Γάλλικος Ἄρης
Κεῖτ' μέγας μεγαλωσὶ, κραταιαῖς χερσὶ δαμαθεὶς
Ἰφθίμων Βρεταvῶν· θάμβος δ' ἔχεν εἰσορόωντα.
Εὐρώπην δ' ἄρ' ἔπειτα Πατὴρ Ἀνδρῶντε, Θεῶντε,
Ὡς ἴδεν ἀργαλέαις ὀδύνῃσι, κὴ αἵματι λυγρῷ
Τειρομένην· ποτέροιο (ἰδὼν) ὲ λήθετ' ἔρωτος·
Ὠιμωξεν ὃ κὴ αὐτὸς· ἐπεὶ Θεοὶ ἵλεῳ εἰσιν.
Εἰρήνῃ ὃ καλεσάμενος πρὸς μῦθον ἔειπε·
Βάσκ' ἴθι, Τέκνον ἐμὸν, πολυμηθίαν ἔμβαλε θυμῷ
Εὐρώπης· κρατερὸς Βρετανός τ' ἄρα λῆγε φόνοιο.
Ὣς ἔφατ', ὐδ' ἀπίθησε Θεὰ, μάλα χαῖρε ὃ θυμῷ·
Αὐτίκα μὴν καλαβᾶσα, πολὶ χροϊ εἵματα καλὰ
Ἑσταμένη, στέφανον κεφαλῇ πολὶ θῆκεν ἐλαίας.
Δεξιτερὴν λάβε χεῖρα, θυγάτρων εἶδος ἀείσῃ,
Εὐποιία θαλερὴ, θυγάτηρ Ἁλίοιο γέροντος·
Ἄλλην δ' αὖ κέθεν Εὐφροσύνη, γλυκὺ μειδήσασα.
Μυείαι ἀμφὶ Θεὰν Νύμφ' ἑκατέρωσε χόρευον·
Ἱλαρότης, Φιλία, Τέρψις καὶ τεαὶν ὁμοῖαι,

Ἡ

Ἦ τ' ἄρ' Ἐλευθερίη φιλέουσα Βρεταννίδα γαῖαν,
Καὶ Δρυάδες βαθύκολποι αἳ ἄλσεα καλὰ νέμονται,
Πᾶσαί θ' αἳ κτὶ βένθος ἁλὸς Νηρηίδες ἦσαν.
Ἔνθα μὲν, ἀλλ' ἐπὶ τῆσι, Θεᾶς τε μετ' ἴχνια βαῖνον,
Ἀλλήλοις ἀρηρίζοντες, πολέμῳ Κύνες ἀργοί,
Λιμὸς, Ἔρις τε, Φόνος τε· φυγὴ μὲν ἀνασκοπέοντες;
Μαψιδίως, ὅτι πάντας ἔπιχον δεσμ' ἀδάμαντα.
Ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἵκανε Θεὰ πρὸς Βελγίκαν αἶαν,
Οὐρανέχιάν τε πόλιν· γεραιοτάτῳ εἰκέλη Ἀνδρί·
Βερσολίῳ βουλῇ τ' ἀγαθῇ, καὶ Ποιμένι λαῶν,
Ὧι Θέμις ἠϋγένης, γλυκεροῖς τ' ἄρα χείλεσι Πειθὼ
Αἰὲν ἑταιρίζει, βλεφάροιν σέβας ἐμπνείουσα·
Τῷ μὲν ἐείκαμψεν, δεινὴν πρόσφατο φῶτ' Ἐνυώ.
Φεῦγ' ἔνθεν πολίπορθε, μάχης ἀκόρητ' ἀλεγεινῆς,
Φεῦγ' Ἀσίην πρὸς χώραν, ὑπερφιάλους τ' Ἀνακλας.
Λήγετε δ' αὖ Βρετανοὶ μένος, ὄρκια πιστὰ ταμόντες.
Εὐρώπη πλέτος ἦ, καὶ Εἰρήνη ἄλις ἔσω.
Ὡς ἔφαθ'· Εὐρώπη μάλ' ἐνὶ φρεσὶ θυμὸς ἰάνθη·
Καὶ φιλίᾳ κρατερῶν χεῖρας νίκησε Βρεταννῶν:
Εἰρήνη ἦ πάλιν κίεν ες Βρεττανnίδα νῆσον,
Αὐτόθι, εὐνομίῃσι πόλιν κτὶ καλλιγύναικα,
Κοιρανέῃ, μεγάροισιν ἐνὶ πύκα ποιηθεῖσιν,
Οἷά γε ναιετάουσι Θεοὶ, ξανθοῖο παρ' ὄχθας
Θαμίσεως, ὃς καλὰ ῥέων πρόσθε ποσὶ Θεαίνης,
Σεύετ' ἐς Ὠκεανὸν, μεγάλης εὐπομπῷ ἐφετμῇς.

Grimshaw Smith, A. B. Coll. Regin.

In GUL. HARRISON: *Qui dum Paci Publicæ, Finibuſque Imperio Gallico ſtatuendis operam impenſius daret; Febre correptus, in ipſo Ætatis & Famæ flore morti ceſſit.*

SIC tandem *Gulielmus* abit? ſic Gloria tanta
Wiccamicis noſtris, Oxonioque ſuo?
Dotibus his? hac Spe? tantoque favore Potentum?
Quam ſecura Sui eſt non ſimulata Fides!

GRATULATIO

Quid faciat Bellum crudelius? ipſe *Diacus*
Quid curvo poterat durius Enſe minax?
Hæc Tua Pax merces? tam fido hæc dona Miniſtro?
Europa haud Tanti; Flandria tota minus;
Signa canant; magnos ducas *Ormonde* Maniplos,
Eugenio ſeu quis dignior alter erit.
Armorum Præſes numen favet Artibus æque:
Ingenio ſaltem vindice tutus erit.
Care Puer! vivo tibi ſi valedicere tentans,
Supremum haud potui ferre miniſterium;
Hoc ſaltem vano perfungar munere, Manes
Defunctique adeam quo licet ire pede.
Omnia tecum —— Aures ſed quæ Vox mollior intrat?
Quæ nova Lux Senſum, quamque benigna movet?
Fallor an ipſe adſis? — Ut vixit amabilis ipſe eſt;
Blandos novi oculos; Lingua venuſta docet.
" *Deſine* Paule *meum lachrymis urgere ſepulchrum,*
" Publica quin potius Gaudia Carmen erunt.
" Nutantem Europam ſi Pax Brittanna quietat,
" Grata Bonis, dubiis Tuta, inimica Malis;
" Fac, vel mille meæ ſupereſſent Sæcula vitæ,
" Ponere, tam magno Pignore, cuncta velim.

PRO Belgis, Orbis pro Libertate, decora
Arma, *eadem* & grandis *ſemper* ELIZA tulit.
Nominis ANNA parem affectans feliciter auctum,
Cognata, eventu diſpare, Bella movet.
Libertate Orbem & Belgas donavit ELIZA,
Alterutri Pacem reddere non potuit.
ANNA utramque dedit; non ſolo hoc faſſa triumpho,
Se potuiſſe magis nec voluiſſe minus.

G. Paul, A.M. Coll. Jeſ. Soc.
Philoſophiæ Prælector Publicus.

FUNESTA

FUNESTA Martis munia gnaviter
Peracta dudum, mœnia & urbium
Diſrupta, dum expavere cives
Semianimes ruitura ſaxa,
Lauruſque tinctas ſanguine Gallico,
Nec indecoro pulvere ſordidum,
Strageſque anhelantem frequentes
Granta Ducem celebrare ſueta,
Nunc lætiores aggreditur modos,
Totumque adurget Pieridum chorum
Plectris adaptantem canoris
Fila melos modulari amœnum;
Dum vota flexo poplite ſolvere
Gaudent Brittanni, & progeniem Jovis
Enixi adorantes procumbunt
Pacifica redimitam Oliva.
Quæ jam bifrontis Numinis arduas
Occluſit ædes vectibus æneis,
Martiſque graſſantis coercet
Mille malis gravidum furorem.
Haud ergo ut olim concutiet faces
Bellona ſævas, tela nec amplius
Obtuſa ad incudem reducet
Immodica ſatiata clade;
Nec hoſtium atro decolor amnium
Cruore torrens gurgite proximas
Terrebit Urbes, dum per arva
Fertur equos equiteſque volvens.
Currente fuſo parcius Atropos
Fluentis ævi ſtamina dentibus
Diſrumpet exoſis, nigrumque
Raro homines Acheronta viſent:
Ad buſta cæſi conjugis aureos
Matrona crines vellere deſinet,
Planctuſque triſtes Orphanorum
Garrula non reſonabit Echo.
Nec caſu iniquo manca cadavera
Transfixa ferro, atque ora minantia
Poſt fata vindictam, vel ipſis
Soſpitibus metuenda turmis;

Aut

Aut arma fœdo ſanguine ſquallida,
Glebaſque dura mole gravantia,
Effuſa acervatim per arva
Attoniti aſpicient coloni:
At trita diris Flandria cladibus
Et vix ſuperſtes, ſe reficit nimis
Afflictam, & exultans hiulcis
Vulneribus ſatagit mederi.
Agroſque adunco vomere ſaucios
Veſtire denſo vellere geſtiens
Spondet diu illuſis caniſtris
Alma Ceres ſegetes opimas.
Lœti ergo terram jam pede mobili
Pulſant coloni, atque heu! nimis exulem
Pacem, Britannorum Minervæ
Auſpiciis, celebrant reverſam.
Quæ ſubditorum provida conſulens
Lapſæ ſaluti, bellaque civibus
Damnoſa gaudens terminare, &
Pauperiem venienti ab ævo
Pulſare, pacem conditionibus
Firmavit æquis, non ſine Numine
Agens perinſignem triumphum
De populo male pertinaci;
Quem ceſpitantem, nec ſua commoda
Satis videntem, lurida Factio,
Jactare rumores iniquos
Plebis avens patulas per aures,
Larva pericli terruit hoſtium
Ex fraude nati, & ſuaſit ut impie
ANNÆ reniterentur auſis
Perniciem capiti imminentem
Arcere ab Anglis haud ſtudio pigro
Conatæ, & æquos figere limites
Prudenter hinc illinc ſtudentis,
Ne nimio Imperio valentes
Vicina poſſent regna procaciter
Vexare Marte, & jugera pondere
Exuberanti frugum onuſta
Militibus ſpolianda donent.
Queis execrandis fortiter obſtitit
Regina cœptis, & requiem dedit

Gratam,

Gratam, & vel indignis utroſque
Angligenis reſeravit Indos.
At dum profundum tutus ab hoſtibus
Mercator æquor ſulcat, & alterum
Explorat Orbem ut ſe ſuoſque
Uberius locupletet auro;
Hic interim artes perpoliat ſacra
Phœbo juventus, hic vigeat fides
Sincera Reges in verendos,
Hincque fluant rigido Catone
Mores probandi. Et dum ſtudet otia
Donare Muſis, ter licet improbi
Frendant Rebelles, perfruatur
ANNA diu placida quiete.
Quam cum repoſcant invida Numina,
Cælique tandem lucida limina
Gratentur intranti, reſignet
HANNOVIÆ ſua ſceptra proli.

Tho. Atherton, A. M. Coll. Chriſt. Soc.

Ad Epiſcopum BRISTOLIENSEM *Privati Sigilli Cuſtodem.*

JAM ſatis Armorum Strepitus, Regumque minaces
Iræ, & ſanguinei Tempeſtas horrida Belli
Angliacas rapido jactarunt Turbine Gentes:
Compoſito tandem Ponto, vexata Procellis
Tranquillos Portus, ſecuraque Littora Navis
Occupat, & nulli præbet ludibria Vento.
Hæc Tibi, Sancte Pater, longi Medicamina Luctus,
Hæc Tibi ſepoſitis debemus Gaudia Curis;
Armorum Furor inſanus, Martiſque rubenti
Fulmina miſſa Manu per Te ſopita quieſcunt;
Te ſuadente, Acies adverſa in Bella ruentes
Componunt Iras, infeſtaque Signa reportant.
Sic olim vaſtas Saxis cum frangeret Undas,
Et fureret rubrum conſertis fluctibus Æquor;
Mirificam Moſis dextram, Virgamque potentem
Flumina ſenſerunt, Campoſque arentis Arenæ
Liquere, & ſolida ſteterunt firmata Quiete.

GRATULATIO

Quæ mala ſenſerunt? quæ non pejora timebant
Gentes, cum ſævi ſcelerata Inſania Belli
Omnia miſceret, fluerent cum Sanguine Campi,
Inficeret lætos & non ſua Purpura Flores,
Horrorque Armorum dirus, Clangorque Tubarum
Ingrueret, miſtoque ſonarent omnia Luctu?
Ut, validus tremulas Ventus cum verberat Auras,
Concurrunt gravidæ maturo Fulmine Nubes
Frontibus adverſis, collectaque Semina flammæ
Elidunt, furit omne minaci Murmure Cælum.
Jam dubius Timor, & triſtis de Pectore Cura
Exulat, & ſtabiles Concordia nectit Amores;
Lilia miſta Roſis fulgent, agitataque Vento
Confuſos pandunt undantia Signa Colores;
Mite Tubæ clangunt, & ſævi Machina Belli
Quæ celerem Mortem, Ferrumque vomebat & Ignes,
Lene tonat, micat innocuus ſine Fulmine Fulgor.
Miles agros patrios, cariſſima Rura reviſit,
Oſtentanſque Notas adverſo Pectore honeſtas
Blenhemios memorat populo plaudente Triumphos;
Qualis fulmineo ardebat Marlburius Enſe,
Sanguine cum patrio ſpumabat decolor Iſter
Ferrea contorquens ſinuoſis Arma ſub Undis:
Qualiſque Ormondus Germano obſtare Furori,
Et Belli frœnare Iras, timiduſque videri
Auſus erat: medica dum, Tu Pater, omnia Dextra,
Pertentans læſæ ſanaſti Vulnera Pacis.
Te præclarus Honos memores producet in Annos,
Virtutemque Tuam, intertextaque Laurus Olivæ
Frondenti Sacram cinget Diademate Mitram.

G. Wall, Aul. Pemb. A. B.

Et jam funeſti clauduntur limina jani,
Nec Mars Sanguineos impius urget Equos,
Et Vos Angliacis iterum Deus Appulit Oris,
Pax alma, & placidæ Pacis alumna quies;
Dii, Suprema Salus! Quod vix ſperare liceret
En ultro Nobis obtulit una Dies;
Una dies! læto Qua rident omnia vultu,
Quique odit pacem Munera Pacis habet.
Quid melius populus potis eſt optare Britannus,
Quid majus potis eſt ipſa vel ANNA dare?

In

In Cælum redeas Sero, Sanctiſſima Princeps,
  Nam Cælum in terris Tu Dea Noſtra facis.
Harlæo Quantum jam debes Patria magno,
  Teſtis erit dives Copia, & Auctus honor;
Fruſtra fatalem intentat Sicarius Enſem,
  Si te non tangant Vulnera, nulla timet.
Quo Te Sancte Pater, mea Carmine Muſa ſequetur
  Muſa mea in Laudes obſequioſa tuas?
Te Te Conſilium & Divos præbente, Britanna
  Terra alias inter ſurgit, & ampla viget.
Quid Te, Straffordi, memorem? tua digna Nepotes
  Venturi grato pectore facta canent;
In Patriam accendit Te Præſulis Æmulus Ardor,
  In Patriam fidus, nec ſimulatus Amor.
Quæ non Ormondi reſonarunt Littora Laudes?
  Hoc Duce Quæ Chartæ prœlia geſta ſilent?
Macte invicte Heros! nunquam tua fama peribit
  Dum Bello pax eſt gratior, Hoſte Salus,
Macte Heros! Lodoix non ultra Perfidus audit,
  Et Rex & Galli dedidicere dolos.

Edmundus Bacon, Coll. Caii Commenſal.
Filius Natu Max. *Edmundi* Baronetti
de Gillingham Com. Norfol.

ARMA diu, & lætos felici Marte Triumphos
Vidimus attoniti, magnoſque in bella ſecuti
Heroas parili cecinerunt laude Poetæ:
Nunc ubi pacatis odiis Gens aurea tandem
Surgit, & Occiduo Belli furor exulat orbe,
Fas ſit inexperta tenero mihi ludere Muſa,
Atque humiles tentare modos: Sic nigra per agros
Tempeſtas ſi quando furit, Jovis armiger ales
Suſtinet & venti furias, cælique ruinam:
At poſtquam toto ceſſerunt nubila cælo,
Effulſitque dies, teneros Philomela ſub auras
Educit fœtus, luditque emiſſa Juventus
Per ramos, lætumque rudi ferit æthera cantu.
  Felix armorum, Salve, Brittannica tellus,
Depoſitis tandem, ô Salve, felicior armis:
Ite domum, egregii Heroes, ſpolia ampla referte,
Bellorum exuvias; potuit quæ plurima Virtus

Eſſe,

Eſſe, fuit. nihil O Superi jam reſtat agendum,
Iſta niſi ut juſto claudatur limite Virtus.
En! ut jam primum retro cedentia Signa,
Jam primum in patrias oras converſa feruntur!
Hæc aliquis ſumma mirans ſuſpenſa ſub arce,
His inquit medio ſublata ex hoſte Tropæa,
Gallica quot jactas, his debes, Anglia, Signis;
Sic O ſic longum requieſcant fixa, ſuaſque
Hic illic ſtudioſa intexat Aranea telas!
Hæc admiratos quoties meminiſſe juvabit
Sic Gallos fugiſſe olim, ſic milite fracto
Et tremere, & validis ſolitos ſe includere caſtris!
En! ut Flandriaci tandem vetus Incola Campi
Poſt denas ſua regna videns lætatur ariſtas:
Hic locus, inquit, Equis erat, hic certare ſolebant
Hoſtiles animi: Villam hanc Victoria felix
Dat famæ, Cannas Gallorum, inamabile nomen;
Hæc Winnendaliæ fauſtiſſima ſilva Britannis,
Virtutiſque ſimul monumentum & fraudis honeſtæ.
O fortunatæ gentes! quibus omne peractum eſt
Quicquid habent fata adverſi; quibus omne futurum eſt
Quod ſibi ſucceſſu poterunt promittere Ovantes.
Hoſtilem in Britonas mentem accepiſſe ſubactum
Pænituit Gallum, flatuſque minaſque remiſit
Bellorum in Serie minor, & certamine longo:
Longe Exul, proſcriptus abeſt, qui fœdera turbet,
Et vano moveat titulo nova Semina belli,
Aſcanius fictus, magnæ ſpes irrita Romæ.
Interea vectæ ſecura per æquora claſſes,
Ultra anni ſoliſque viam, vix cognita noſtris
Littora luſtrabunt peregrinoque orbe receſſus.
Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectam Britonum pubem, Auſtralique ſub axe
Vellere Phryxeo referent pretioſius aurum.
O quam felici procedent omnia fato!
In quantum ſpe tollet Avos felicius ANNÆ
Nomen, ubi exhauſtas multa cum laude Britannæ
Gentis opes videant reparari mercibus Auſtri.
Cum noſtros Orbi gens necdum nota Triumphos
Audiet, & tanti monumentum inſigne laboris;
Chiliacum Angliacos aurum memorabit honores.

Zach. Pearce, Trin. Coll. Alumn.

JAM

JAM Martis atrox excutitur jugum,
O & Furoris cæca Domeſtici
Deſæviat vis, luctuoſos
Nec Patriæ foveamus ignes!
Quo fauce aperta, Seditio, ruis
Ciere turbas callida, ſedula?
Quid fæta commentis Olivæ
Carpere Vis meritos Honores?
Nil promovebis, deſine turpium
Conviciorum, Legibus integra
Stat invidendis Pax, tuamque in
Perniciem Opprobriumque ſtabit.
Præſens Britannis Diva vocabere,
Gentes Parentem Te Sociæ canent,
Et Curiam audacter fidelem,
ANNA, tuos Procereſque dicent;
Vos, Civitatis Lumina, plurimo
Honore fas eſt tollere, Patriæ
Vos elaboraſtis petitam,
Immemores propriæ, Quietem;
Ægris ruentem ſic humeris Polum
Suſtentat Atlas, & doleat licet
Vix ponderi Par, ſtat dolere,
Ne miſeros feriant Ruinæ.

G. Doughty, A. B. Coll. Regal Soc.

Ad REGINAM.

O Regina, tuis Decus & Tutela Britannis,
Vincere digna foris, & dare Jura domi;
Palladis inſtar ades, Laurumque innectis olivæ:
Te Pax alma Deam, Martis & arma decent.
Fatorum geris una vices: Tibi Janus uterque
Obſequitur, templi Janitor ipſe ſui:
Europa ancipiti jamdudum lance reclinans,
Subjicit arbitriis pendula regna tuis.
Tu punire ſimul, potes & pacare rebelles:
Sceptra gerant alii, ſed dare ſceptra tuum eſt.

GRATULATIO

Poſt domitas gentes, juga dempta, urbeſque refixas,
Sola vacas patriæ, dum licet orbe frui:
Anglus habet quam gens hominum deſiderat; & quo
Imperium minus eſt, Gloria major erit.

Thomas Cooke, Aul. Trin.
Soc. Commenſ.

PROELIA decantent alii claroſque Triumphos
Victorum memorent, queis bellica gloria cordi,
Oblitis quanti conſtet victoria, gentis
Quantum victricis, quam vix reparabile damnum:
Interea dum nos pacem, paciſque Sequeſtram
Materno in populos ANNAM celebramus amore.
Heu nimium lenti ſub iniquo pondere belli
Nequicquam victrix, gemuit Brittannia, poſt tot
Inſignes, multo ſed non ſine Sanguine partas
Nequicquam laurus, tamen heu! jam vidit in annos
Produci ſtrages, bellum æternumque futurum;
Scilicet invaluit longum dominata per urbem
Factio crudelis, pacem averſata, perita
Concinnare dolos, patriæque intendere fraudes,
Et Spoliis expilatæ diteſcere gentis.
Hos Regina graves tandem miſerata labores,
Et feſſis præſens patriæ ſuccurrere rebus,
Te vocat e medio procerum, Vir Maxime, cœtu,
Quem Mitra, & pietas ornat digniſſima Mitra;
Cujus & aſſiduam teſtatur Suecia curam;
Te vocat ANNA, ſimulque paratis inſtruit armis
Non clypeo & galea (qualem Thetis anxia Achillem
Induerat) ſed conſilio monitiſque ſecundis
Firmabat generoſum animum, atque hæc addidit ultra:
I bone, ad Europæ proceres hæc juſſaque defer,
Horrida dic ſacris ſuſpendant arma columnis,
Spiculaque & gladios, belli Inſtrumenta cruenti,
Ceſſent infeſtis lacerare furoribus orbem;
Nec mora, Reginæ mandata capeſſere fidum
Pronus in obſequium, parat ecce inſignis oliva
Ad fortunatos Utrechi tendere muros!
Supra alios tanto felices hoſpite muros:
Huc legati adeunt variis e partibus orbis,

Ut

Ut dubiis reſponſa petant firmiſſima rebus:
Eloquio Ille potens iras mulcere feroces,
Ille potens dextram ſublatam in bella ruentum
Siſtere, ſurgentemque animo compeſcere Martem,
Hoſtiles conjungit amico fœdere gentes,
Æterna imponens diſcordibus otia terris.
Gaudeat externo jam functa Britannia bello,
O! ſi fas odiis fungi internoque tumultu!
Tum liceat triſtes æternum ponere curas,
Sollicitoſque metus, & inania ſomnia luctus
Venturi, & veros de pace egiſſe Triumphos.

Benj. Glover, Coll. Regal. Alum.

SALVETE Vos O! lucida ſidera
Amica Pacis; quæ placidam undique
Vim ſpargitis, pacare Gentes
Blanda diu miſero tumultu
Belli occupatas. Vox ſilet ænea
Mavortis, acris cui ſtrepitus tubæ,
Clamorque cordi eſt. En, Minerva
Ægide depoſita virentem
Geſtans Olivam! fallor? an Angliæ
Regina ſic incedit amabili
Splendore, Paulinas ad Ædes
Magnifica comitante Pompa.
En! Te potentem conſiliis Virum,
Harlæe, cerno: copia Mercium
Quo fonte derivata pleno
Labitur in Thameſin fluento.
Vultu Sacerdos pacifico ſacrum
Ornat Triumphum: ſic docet aurea
Lux ſolis ardentem nitore
Inſolito radiare Gemmam.
Precamur, adſis; & careas diu,
Vir Sancte, cælo jam tibi debito;
Et Numini conjunge Gentes
Unanimes propiore vinclo.
Nunc Anglicanum lumina Memmium
Læta intuentur, Gallia Patriæ

Quem

Quem reddidit deſideranti
Muneribus Lodoicis auctum.
Ormonde, fronti ſerta parant tuæ
Molles Camenæ: Te facilis Virum
Amplectitur Daphne, ſequentem
Quæ fugitiva Deum fefellit.
En! læta cornu Copia fertili,
En! nuda Virtus, almaque Fauſtitas,
Arteſque ſolennem laborant
Ingenuæ decorare Pompam.
Sed grande munus non mihi convenit:
Hoc Ille tractet, quem vigor ingenî
Altum, Poetarum relicta
Plebe, tulit fugiente penna.

Gul. Burchett, Coll. Pet. Alumnus.

Ad Reverendum admodum in Chriſto Patrem Johannem Epiſc. BRISTOLIENSEM &c.

CUM comes in mediis *Dibbeni* Muſa procellis
Teque, tuamque Pater, cecinit, Venerande, carinam,
Sit mihi fas, Generis ſpes ô & gloria noſtri,
Hoc Tibi ſedatos gratari carmine fluctus;
Sit fas (exiguo quamvis humilique Poëtæ,)
Jam procul amotum quicquid fuit ante malorum,
Quodque moras potuit tantis inducere rebus
Dicere, & in placido pennas expandere Cælo.
Tu, Pater, audenti precor ô ſemel annue vati,
Dirigis ut pacem, pacis mihi dirige carmen.
Jamdudum rapidi Martis, miſerique fragoris
Pertæſum armorum eſt, jamdudum pœnitet ANNAM
Sanguinis effuſi, licet ipſo effuſus ab hoſte
Largior exiret, jamdudum pœnitet urbes
Obſidione capi, quod non ſine cæde ſuorum
Vinceret, & Britonum Gallorum ſanguine ſanguis
Commiſtus flueret, licet æquo haud flumine miſtus.
Conclamat Regina, & Tu cariſſime Præſul,
I, fuge, pacatæ jungantur fœdere gentes;
Amplexuſque ferat placidæ jam Gallia dextræ
Quam timet armatam, ſpargentem fulmina belli

Quam

Quam fugit, occurrens jungat grata oſcula, dextræ
Dextera juncta novos ANNÆ teſtetur amores.
Dixerat; at virtus urget ſua plurima Patrem
Tendere per caſus, per mille pericula ponti:
Eia age, quantumvis fluctus, Neptune, frementes
Objice, quantumvis incerta per æquora navem
Disjice, non illum terrent, pater invide, fluctus
Fluctibus impoſiti, tua jam, Neptune, videnti
Horrida non facies, menti dum cara recurrit
Reginæque novos animos inſpirat imago.
Solve metus, Lodoice, tuas jam mitte querelas,
Ut juvat! ut gratum eſt armis ſpectare Britannum
Depoſitis, nec, ut ante, tuis fatalia Gallis
Conſilia, at tacito verſantem in pectore Pacis
Omne opus! interea dubiis ſedet anxia curis
Europa expectans, nec longum tempus, & ingens
It cælo clamor, reſonat pacem undique littus,
Plauſibus accipiunt lætæ ſua fœdera Gentes:
Sic ô, ſic populis det jura volentibus ANNA,
Et Jovis ad morem pacatum temperet orbem.
Tu ſalve ingentis molem omnem emenſe laboris,
Nil Tibi quod poteras, nihil, ô Patrone, relictum eſt:
Unum oro, majora velis ſi commoda pacis,
Te modo redde tuis; O quam jucunda voluptas
Cum reducem auguſta Proceres in ſede locabunt!
Longævum advenies Thameſin cum cinctus Oliva!
Ecce Senex Tibi jam venturo flumina ſternit!
Patria Te revocat, revocat Regina, preceſque
Addit, & ingentes iterumque iterumque labores
Haurire, & pendere cupit narrantis ab ore
Per quantos caſus per quot diſcrimina Pacem
Firmaſti intrepidus, quæ geſtant pectora Galli,
Quæ Batavi, pacem quali amplectantur amore.

Tho. Robinſon, Filius *Gulielmi Robinſon*
Baronetti Trin. Coll.

GRATULATIO

ARMA diu cecinit Vates pulchroſque Triumphos,
Et fractas acies, Gallia maeſta, tuas.
Jam molles numeros invitant otia Pacis,
Otia ſecuris vatibus ANNA dedit.
Quales pro patria fudiſti ex ore querelas;
Innocui quoties pectoris, ANNA preces?
Aſcendit caelum pietas tua, & Aethera vincit;
Factaque placati eſt Mollior ira Dei.
Scilicet hinc Caeli Labor eſt ſervare Britannos,
Sollicitant ANNAE cura ſaluſque Deum.

J. Greene, Jun. e Coll. Div. Joh. Evang.
Socio Commenſalis.

JAM Cædis Famæque ſatis. Defeſſa Triumphis
Grandævos bello Heroas, Pubemque rubentem
Sanguine, ab infeſtis revocat Brittannia campis.
Et cum non ultra locus eſt, aut cauſa furori,
Victores condit gladios, atque imperat Armis.
Fortunata Dies! & felix exitus artis
Funeſtæ! Quanto jam luctu reſpicis arces
Disjectas, Europa, tuas; & civibus Urbes
Nudatas? Quanto, tua Templa ingentia quondam
Nunc divulſa vides, miſeras Regumque ruinas?
Heu nunquam felix bellum, lachrymabile ſemper
Victori & Victo!—Sed vulnus clauſit amica
ANNA manu. Tandem disjectæ ſurgite Turres;
Plaudite ſervati cives; Vos Templa nitore
Educenda novo, Regeſque Palatia rurſum
Veſtros acceptura, Britannûm plaudite curæ.
Tu vero, Britonum ſedes, felicibus ANNÆ
Auſpiciis bello multum, ſed Pace timenda
Verius, & dilecta magis, Tu grata benignos
Agnoſcas cælos, & donis utere Divum.
Te vocat Oceanus Dominam. Thetis ipſa receſſus
Ecce tibi cæcos aperit, terraſque recondit
Ignotas, & regna jugum ſubitura Britannum.
Pro Te Terra tegit pretioſum pondus, & Arva
Intactas Meſſes, ſudant tibi balſama ſilvæ,
Succina dureſcunt pro te, Pontuſque ſub undis
Secretas occultat opes, gemmaſque repoſtas.

Jam

Jam tandem extremos ſecurum, Navita, ad Indos
Findere iter poteris, nihil eſt quod ab Hoſte timebis:
Et Vos privatis curis, ſtudiiſque beati
Innocuæ vitæ, tranquilla per otia veſtras
Exercete artes, veteris monumenta laboris
Seu dociles renovare, noviſve imponere limam;
Spiret ebur, Muſæ pingant, Pictura loquatur
ANNAM, dum placida pectus dulcedine tacta
Egregias Regina omnes, quas promovet, artes
Ornat, & ipſa ſuas miratur Pallas Athenas.

Edv. Greene, Coll. Regal. Alumn.

ΠΑΝΤΑ ὅς ϛφάλλειν ἐϑέλησεν αἰών,
Ἄ ΑΝΝΑ, Βρεττάννων δαΐφρων ἄνασσα,
Σοὶ μόνῃ πλησίστιον ἦρον ἀρχᾶς
ὐ μεϛαβάλλϕ.
Πᾶσα χθὼν, ὕδωρ πολιῆ τε πόντϖ
Δηθὰ κύμαινον, σᾷ ὐπαὶ δὲ ζευγλᾷ
Σφίγϛε). χαίρϕ πότε ναὺς ἔχϖϛα
Νηνεμίᾳ τε.
Ἤδη εἰρήνη ϖϱολιποῦϛα πατρὸς
Τὸν δόμον, σὺν λιταμφίαο, ἦλθεν
Ἅρμ' ὑποζεύξαϛα, ϖϱόϊϛεραὶ δὲ
Παρθένον ἀγνιᾷ
Ἤγαγον καλαὶ, ϛόμαϑ' φέρϖσαι
Τιὼ ἔλαιαν, ϗ πλέϱυγας ταχείας
Πυκνὰ δινεύϖσαι ἀπ' ὤϱαν', αἰθέ-
ϱϑ' διὰ μέσϖ,
Αἶψα ἐξίκονϑ' ἔδωκαν Ἄγλοις
Πᾶσι τ', εἰρήνῃ, ϛεφανόν τε ΑΝΝΗι
Ἄξιον, δεινὸς ϑοϱεῖ ὐκέτ' Ἄϱης,
ὐδὲ τὶ λοιγός.
Βελτίων ἀλλ' ἦλθε Κϱόνοιο αἰών,
Πᾶσα χθὼν πᾶσιν ϖϱοφέϱει τε πάνϑα,
Καὶ ἐς Εὐϱώπιν φέϱε) μάκαιϱαν
Ἰνδικα γάζα,

Κα'

GRATULATIO

Καὶ Πλάτᾳ χρύσεον Θάμεσις δίδωσι.
Τοιά σι πρέσβισα δέδωκε μοῖρα,
Οὕνεκ' εἷ πάντων ἀρετῇ ἀμείνων,
Δῖα γυναικῶν.
Χαῖρε νῦν, ἣ ὡς χαλεπᾶν ἔλυσας
Ἐκ μεριμνᾶν, ὦ Βασίλισσα, Ἄγλως,
Ἢ ἀεὶ ἄλλοις, ἀρετή σι αὐτῇ
Σύμμαχος ἔσω.

R. Edborough, Coll. Regin. Alumn.

AUGUSTI Heroum cineres, ſacræque Favillæ,
Relliquiæ ingentes! Quocunque ſub axe jacetis
Seu vos Vigovios tinxiſtis ſanguine fluctus
Seu rotat extremus ſinuoſo flumine Ganges,
An brumalis habet polus, exultate! cruoris
Mercedem effuſi lætabilis attulit Hora.
Non iterum infauſtas laurus, urbeſque Britannus
Audiet everſas & Caſtra minantia Caſtris:
Nec fluet, ad ſtrepitum armorum, frenitumque Tubarum
Gallicus Angliaco commiſtus ſanguine ſanguis.
Auſpiciis, Regina, tuis felicior Ætas,
Pulchra redit Series, & lucidus ordo dierum
Exoritur, fauſtoſque jubes procedere Menſes.
Sic ubi Tempeſtas ſpumoſum verberat æquor,
Auſterque, Zephyruſque tonat, creberque procellis
Africus, ad cælos montes volvuntur aquarum,
Littora tunſa procul reſonant, furit æſtus arenis.
At Venus æquoreis ſubridens emicat antris
Fragrantique ſinu ambroſios diffundit odores,
Protinus aſpectu Divæ Maria alta reſidunt,
Blandaque tranquillo decumbunt æquora ſomno.
Ecquis jam Vates divino percitus œſtro
Immortale melos properat? Tu Carmina dulci
Effundas, Granville, Lyra! Tu Carmina ſurdis
Non fundes, Granville; tuis e rupibus Echo
Reſpondet numeris, ſilvæque & ſaxa reſultant.
Et Tu, quem fidum Pacis Regina Miniſtrum
Elegit, docte Eloquio ſopire furores
Armorum, inſanos moderari docte tumultus,

Sume,

Sume, Priore, Chelyn, contende loquacia fila,
Nam ſi digna Anna Modulari carmina Muſæ,
Digna tuæ Muſæ modulari carmina poſſunt.
Sic ubi jurarunt in olympia regna Gigantes
Firmavit Phœbus ſuperos, magnumque Tonantem;
At poſtquam ætherios jaculatus Jupiter ignes
Disjecit Rhœtum Cæumque, trucemque Typhœum,
Protinus auratas tentanti pollice chordas,
Laudibus æterni ſonuere Palatia Regis,
Et pro qua ſteterat, decoravit Carmine Pacem.

Guliel. Broome, A. B. Coll. Div. Johan.

Jam Mari Terraque manu cruenta
Plurimos Bellona furens per annos
Straverat miſto Juvenum ſenumque
Funere campos.
Anna cum gentes miſeras, feracem
Litium prolem, proprio cruore
Turpe! fœdatas miſerata, dixit
Victa dolore.
Gentis Humanæ Pater Alme, amicos
Vinculo nectens metuente ſolvi,
Quique diſcordes placido coerces
Fœdere mentes;
Eximas leto propiore Terras
Et diu optatam laceris reducas
Gentibus Pacem viridi decoram
Tempora oliva.
Tuque dum æterno Solio beatus
Inſidens æquo moderere jure
Ultimas Terras, Tibi gratus Orbis
Serviat Uni.
Annuens Votis Precibuſque Cælum
Anna, quas grata pietate fudit,
Tradidit, Regina, Tibi tenendas
Martis Habenas.
Tu minor ſolo Jove; Te jubente
Exulant Orbis gemitus; beatæ
Pacis adventu redeuntque in Aurum
Tempora Priſcum.

GRATULATIO

Ampliet Vitæ ſpatium benignus
Jupiter, noſtris adimens diebus,
Quod precor Veſtris opulento adauctum
Fœnore reddat.
Donec emenſæ facilem Senectam
Detur in Cælos Patrios redire,
Nectaris ſuccos trahere, ac Deorum ac
-cumbere Menſis.

Gul. Warter, Coll. Div. Johan. Alumn.

EDOMITOS hoſtes, ſæpe arma urbeſque Duceſque
Auſpiciis captos vidimus, ANNA, Tuis.
Quacunque Angliacus geſſit fera prœlia miles
Fortuna imperio paruit alma tuo.
Sed nimio palmæ maduerunt ſanguine, Gallus
Si periit, Cives & periere tui:
At nunc quæſiti redeunt ſine cæde Triumphi
Noſtraque non ullo gaudia cive carent.
Olim inſignitos bellis feliciter actis
Cæca ſuperſtitio credidit eſſe Deos;
At tibi quid ſolvat plaudentis cura ſenatus
Dum pace & bello, Te manet æquus honor?
Aurea jam vere panduntur ſæcula, prægnans
Dum venit innumeris pacis oliva bonis.
Nunc ubi mille olim ceciderunt, flavet ariſta,
Luxuriatque hauſto ſanguine fœtus ager.
Per Mare per ſcopulos properans Mercator ad Indos
Jam tuto lætus tramite carpit iter.
India jam varias emittit prodiga gemmas
Inſtituant capiti quæ diadema Tuo.
Æquoris immenſi tradit Neptunus habenas
Et ſua dat ſceptro regna tuenda tuo.
Cuncta Tibi parent, recipit Tua vincula mundus
Quæque a Te veniunt vincula, nulla putat.

Pet. Selby, Trin. Coll. Alumn.

JAM

JAM lenes numeri incipiant, jam mollius ire
Carmina, non clades Gallorum, aut qualis in hoſtem
Ormondus ruit invictus, nunc grande Camenæ
Dant argumentum; cecidit belli impetus omnis,
Converſique animi, & (quod ne ſperare licebat)
Gallorum & Britonum dextræ miſcentur inermes.
At non imperii, aut exſcindere Gallica regna
Spes ſæva, Angligenas Sociis ſe jungere turmis
Induxit, ſed Libertas, ſed Publica cauſa.
Hoc erat, ANNA, tuo toties quod milite cinctus
Malbrovius trepidos egit formidine Gallos,
Atque animos fregit Lodoici vincla minantis
Captivæ Europæ: poſtquam timor ille receſſit,
Liber & Orbis; habes toto quod Marte petiſti,
Ormondumque jubes ardentem ad prœlia ferrum
Condere ſanguineum. Sed nec, fortiſſime Princeps,
Gloria veſtra minor: quamvis tua tempora circum
Nullæ frondeſcunt Laurus, quæ ſanguine Gallo
Et Matris miſeræ lacrymis Viduæque rigantur.
Laus tua, quod Patrios repetit Brittanica pubes
Te Dûce, ſalva Lares. Heu! quot tua, Flandria, triſtis
Terra tegit, dulces reditus queis Fata negarunt.
At vos illuſtres animæ Heroeſque ſepulti,
Fortunati omnes: quoniam per funera veſtra
Orbi parta quies, omnique ſoluta timore
Res Batavûm ſtat vicinis minus obvia Gallis.
Aſpice quam læto ſe attollit Flandria vultu!
Luxuriat per caſtra ſeges, foſſaſque profundas
Jam pecudes implent, agni tenerique queruntur
Balatu, quo ſueta audiri fulmina Martis.
Pacis hoc eſt omen, jam ſpondent omnia pacem.
Marſque adeo Comiteſque Dei, crudelia monſtra,
Deſeruere agros; irati & ſæva minantes
Si Boreæ populos, Suecos & Danica regna
Incendant bello. Quanto, Mitrate Sacerdos,
Jam deſiderio Te poſcit Suecia: noſti
Tu bene ſurgentes animis ſedare tumultus.
Sed dulci caruit longum ſatis Anglia Nato,
Fertque moras ægre, dum tutum littore curvo
Excipiat: feſſum hic curis, anniſque gravatum
Alma quies foveat; neve ultra neſciat Ipſe
Solus, quæ peperit Brittannis, otia Pacis.

Gul. Offley, Coll. Regal. Alum.

IN-

INSANIENTI dum quatit impetu
Pagos & urbes concitus effera
Mars Sævus ira, Quæ tumultu,
Quæ miſera caret ora cæde?
Confoſſa paſſim membra, cadavera
Aggeſta, prædas, damna, ſine incolis
Domos ruentes, & cruoris
Flumine humum videas natantem:
Deſolat agros dira neceſſitas,
Et tecta captarum ignibus urbium
Accenſa fumant, & Triumphi
Sub cumulo gemit ipſe Victor.
Teſtis tot eheu! Gallia cladibus
Funeſta, Teſtiſque Anglia lugubri
Vexata bello, tot per annos
Se lanians Sibi diſſidentem.
Dum pendet anceps Anglia, & anxia
Fati futuri, concita dum gravi
Europa bellorum tumultu
Perniciem timet imminentem:
En! ut ſerenum cum caput exerat,
Neptunus undas mulcet; ut aſperos
Ventoſve nutu (non flagello)
Æolus arce ſedens coercet:
Sic Tu, ferocis jurgia Sæculi
Harlæe, ſedas; ſic rabidas minas
Compeſcis affatu, ſagaci
Conſilio, placidoque vultu:
Sic corda Regum flectis ahenea,
Gravique mulces bile tumentia,
Siccoque lætaris Triumpho
Impatiens Patrii cruoris.
Vides ut axi jam rediit jubar,
Pulſumque Phœbus reſtituit diem:
Verumque fuco inſtat remoto,
Et niveum ſine fraude pectus:
Veſana jam Diſcordia ut exulat,
Ut Sciſſa pallam, vinctaque ferreæ
Nexu catenæ, claudicanti
Membra trahit prope nuda greſſu.

Poſt

Poſt indecoro Sanguine Sordidum,
Et crine cano fert Odium pedem,
Dolenſque Se loris revinctum
Dente humeros lacerat cruento.
En! plaudit omnis Caſtalidum chorus,
Phœboque concors carmina concinit,
Dum Europa, jam florente Pace,
Læta novas peragit Choreas.
Ornata pulchris Compita Veſtibus
Rident; ab altis mœnibus ærea
Tormenta, jam converſa in uſum
Lætitiæ, ingeminant fragorem.

Chr. Jenyns, A. B. Aul. Pemb.

Ἄρες μαχᾶν μεμαλὼς
Σὺν τοῖς βέλεσι φεῦγε·
Σάλπιγξι γάρ τι κἀμοὶ;
Τὶ ἐγχέεσιν ὠμοῖς;
Ῥομφαίᾳ ἢ τί δεινᾷ;
Ἐώεχ' αἷμα, κ' αἰνὰν
Τὰν φύλοπιν, κ' ἀέλλας·
Ὄλωλ' Ὄλωλ' ἐμ' ὄψις·
Ἄλις ῥ' ἀκήκο' ἤδη
Κλαγᾶν τε κ' αὐτᾶν·
Ἄλις ῥ' ὄπωπα ἤδη
Φόνωντε τραυμάτων τε.
Ἐῤῥῶσθε πάντ' Ἄρηϑ',
Εἰς αὖθις οὐκ ἐσεῖται
Ὑμῖν τί κἀμοὶ· οὐκ αὖ
Ἄρες με σὸν καλέσεις,
Ἐγὼ γάρ εἰμὶ Φοίβε.
Σὺ Φοῖβέ μοι δὸς αὐλὸν,
Λύρανλε τὰν καλάν σευ,
Χρόνος γὰρ ἦλθε κ' ἄσει
Νδν θ' ἄσυχος μάκαρ τε,
Θέλω Θέλω χαρῆναι.

GRATULATIO

Εὔδωσι ταὶ μεείμναι,
Σὺ Βάκχε νδν τ' ἐσέλθης,
Ἤτόρ τέ μευ ἰανθὲν,
Ἄμναμον ἠδὲ ἄρδλω
Τάων πάλαι λυπάων,
Νδν ἄρξεται λιγαίνειν.
Εἰράνα ἀ τελίσα
Νδν ἤρχεθ', ἀ μεθ' αὐτᾶς
Φέρϛα πάνθ' ἁπᾶσι.
Φανέντϙ Ἡλίοιο,
Δύντϙ τε, ἠδὲ αἰεὶ,
Θέλω Θέλω χαρῆναι.

Tho. Bolton, Aul. Pemb. Alumn.

DULCE Triumphantes, lætoque tenore fluentes
Præcipe, Muſa, modos, quales tibi, Pollio, Vates
Compoſuit, magnos hortans procedere Menſes:
Aut quales olim, Thebanæ conditor arcis,
Mellita eduxit ſolers teſtudine cantus;
Auriti quando lapides modulamine capti,
Exiluere, & ſponte novas iniere figuras.
Auſpice Regina, coeunt ſub fœdere gentes,
Longas deponunt lapidoſis cordibus iras,
Et mortale genus vel ſaxo durius ANNA
Evocat in pacem; diſruptaque vincula nectit,
Pacatumque regit propriis virtutibus orbem.
Conciliare homines qualis provincia! qualem
Eſt ſortita ducem! quam ſors hæc convenit illi,
Quæ circumveſtit te purpura, Maxime Præſul,
Felix qui poteras duplicem meruiſſe coronam,
Legatus duplex! ANNAque Deoque Jubente
Exit Legatus Pacis quam prædicat orbi:
Exiit edixit; vixcepit Belgia vocem
Audiit extremis quin illico Celtiber oris
Pœnituit Gallos belli, coiere viciſſim.
Pax conflata redit, rumpendo firmior: Ecce!
Inſignis, mediiſque reſurgit pulchrior armis.
Priſtina Pax etenim, ſemel interrupta, docebat
Qua victu facilis, minus in qua parte valeret,

Atque

Atque reſarcito renovatur vulnere tuta.
Sic ſi forte ſatis irruperit amnis abundans
Aut nivis, aut pluviæ, rupto munimine valli
Qua datur ire, ruunt undæ, per prata, per agros
Effundunt ſeſe, atque obducunt omnia limo
At poſtquam fluctus multo ſudore Colonus
Undantes bibula jam derivavit arena;
Certius ædificat vallum fruiturque periclo,
Inque novum reficit munimen, & altius agger
Eductus fruſtra minitantes deſpicit undas.

Richardus Shukburgh Coll. Div.
Johan. Socio Commenſalis.

AUREA depoſitis revocantur ſæcula Bellis;
Et reſonant Urbes Laudibus, ANNA, tuis.
Te Socii merito celebrant: Te Vindice, læta
Pars Magna Europæ reddita jura tenet.
Sat Marti Furiiſque datum: nunc mollior ætas
Otia ſecuris Gentibus alma ferat.
Curarum vacui ſubigant nunc arva Coloni,
Dum placida Miles membra quiete levat.
Gallia pone metus, jam tandem pone decennes:
Non Batavus, non te territat Anglus ovans.
Gaudeat in gelida Princeps tuus Ille ſenecta,
Pace potes, Lodoix, vivere, pace mori.

Edvardus Southwell, Magd. Coll.
Socio Commenſalis.

LÆTITIAM dum magnam, effuſaque gaudia Civis
Omnis agit, reduci exultans poſt bella quiete;
Pacificam tu ſume lyram, tu ſuccine pleno
Muſa choro; taceat lituus, nec murmure rauco
Cornua triſte ſonent, placidis inviſa Camenis.
En belli ceſſavit opus! Mars horridus armis
Sulphureo invehitur curru, viſitque Suëcos,
Ruſſiacaſque acies. Terror pernicibus alis,
Et fugit ante Metus; Cædes perfuſa cruore,
Inſanuſque Furor, nodis aſtrictus ahenis
Pone rotas premit, atque indignans vincula quaſſat!

Sic

Sic cælo viſum eſt, Galli deferbuit æſtus
Bellicus, & ſocio coeunt nunc ordine Gentes
Conjunguntque manus; litis veſtigia nulla
Apparent, præter litem & certamen Amoris.
Haud aliter diſcordantum concordia vocum
Concentus dulces parit, Harmoniamque decoram.
O gratæ placitæque vices! oblita tumultus
O ſi diſcordes ſic, Terra Britanna, quiete
Quam præſtas aliis, & amica pace fruaris!
Cum vero Lodoix bello perterritus oras
Pacem; cum dextram dextræ conjungere amicam,
Atque in complexus avide cupis obvius ire;
An fœdus tu poſcis, ut inviolabile ſerves
Numen amicitiæ? An potius te in fræna reclinem
Subjicis, ut ruptis inſtaures bella catenis,
Regnaque contundas feſta florentia pace?
Sic tibi Conſuleres Princeps? non talia ſpondent
Majeſtatis honos, promiſſaque Regia nobis.
At mens inſano ne fors correpta furore,
Imperium mundi, & rerum captaret habenas;
Impoſuit Regina tibi, Lodoice, catenam,
Quam non excuties omni molimine, qua non
Te notæ expedient artes, fraudeſque latentes.
Sic Proteus formas aſſumens mille ſolebat
Vinclis excidere, & per fraudem elapſus abire.
Aſt in Ariſtæi manicis, & compede dura
Implicitus, fruſtra conſuetas fugit ad artes,
Invitum cuſtodit ineluctabile vinclum.
Hoc opus, ANNA, tuum; & quid non ſperare licebit
Auſpice te? ut rerum ſe pandit amabilis ordo?
Ut creſcunt artes? ut nunc commercia florent?
Traduntur Dunkirki arces, aperitur Eoum
Occiduumque ſolum, conceſſa licentia ponti eſt.
Ut Ruri ſua forma redit? veſtitus honore
Ridet ager, funditque ſinu prædivite fructus.
Caſtra tegunt ſegetes, per propugnacula ludunt
Exultim pecudes, impuneque pabula quærunt.
Sic poſtquam fluvius, qui laxa exibat habena,
Impatiens ripis cohiberi, atque aggere terræ,
Volvit aquas lenes, riparum conditus ulnis;
Graminis herba virens tenues ſe rurſus in auras
Explicat, & ſulco ſeges inclinata reſurgit.

Joannes Legg, Coll. Regal Alumn.

Ad Pacis Oppugnatorem.

PRODI, Qui placidæ numeris obſtare ſolebas
Pacis; & oſtendas, Invide, triſte Caput.
En! dum Carminibus celebrantur tempora feſtis,
Obducta eſt nigro Veſtra Thalia peplo!
Vina mihi rident vel *Gallica*, plus ego vinis,
Quæ Tu, ne fuerint miſta Venena, fugis.
Sternitur innumeris mea menſa ampliſſima Diſcis;
Omnibus hoſpitibus Janua noſtra patet:
Dum Tu Radices tenues & Vilia prandens
Solus cum Solo fercula mœſtus edis.
Quam lepide Daphne, quam Daphnes ſaltat Amicus,
Pacis ad accentus ingeminatque gradus.
At vix crura Chloe ducit ſponſuſque, moventque
Ut *Cancris Orti*, lævus uterque pedes.
Noſtra modos hilares recitat; Tua Carmina Nympha
Quæ canat ad miſeras immoritura cruces.
Omnia jucundo mihi ſuaviter Ore renident;
Uno horrent cædes, ſanguis & arma Tuo.
Unde hæc? ni ſteteris querula quod parte malignus,
Ipſaque præ reliquis Civibus alta ſapis.
Hinc illæ Lacrymæ: Hinc vi, cenſu, voce reſiſtis:
Et Pacem, quod res pax mihi grata, negas.
Sic quia Moroſus non ederit Ipſe Catellus
Gramina, Jejuno reſpuit ergo Bovi.
Num Tibi non Cordi eſt quod Diva Eccleſia floret
Anglorum, & priſca eſt intemerata fides?
Quod nondum Lodoix ſpectandus ducitur Unco?
In Cineres verſam Lutetiamque vides?
Scilicet ad Græcas potes iſta videre Calendas
Quum nec Res Gallis, ars, neque miles erit.
Num modo Dimiſſum poſt trima Silentia, Vatem
Et ſero linguæ verba ſoluta Times?
Num quid Te terret fictuſque & Degener heres?
Num quis de pura Religione metu?
Pulſat Papa fores, Heu clamas perdite! & intrat;
Truxque Colenda Tibi fert ſimulacra Deos.
Ah Timor inſulſus, Læſique Chimæra Cerebri!
Curare Angliadas Numina nulla putas?
Nonne regit pavidas ANNA Invictiſſima Terras?
Et Genti pacis fœdera cuique parat?

GRATULATIO

Non domus HANNOVIÆ Illuſtris ſtabilitur in ævum?
Non genus æternum, perpetuumque Decus?
Si minus hæc placeant, Anglis diſcede: Nefandum eſt,
Quum ſunt nulla foras, bella ciere domi.
Gratus eris Moſchis, Suecis Turciſque Remotis:
(Quorum &, ſi Offenſa eſt *Patria*, ſume *fidem*,
Turbatum furiate cupis volitare per Orbem;
I, fuge; ſed poteris Tutior eſſe Domi.

Johan. Boldero, A. M. Coll. Chriſti Soc.

TANDEM Læta dies, Britonum quæ ſæpe fefellit
Spes nimium celeres, maturæ conſcia Pacis
Præſentem Auſpiciis animat melioribus annum.
Scilicet hunc Noſtri finem voluere laboris
Europæque ſalus & provida fata futuri:
Fracta nec ulterius potuit tentamina Pacis
Ludere & horrendo Mavors punire flagello.
Non huc ſævierat Bellum, niſi Noſtra tuliſſet
Fortuna Hoſtiles arma uſque laceſſere gentes,
Donec Pacis Opus Britonum ſit Gloria, & ANNA
Imponat Morem Victo & Victoribus æquum.
Nam cum fama volans narravit ubique, Britannos
Auſpice Marlburio Gallis concurrere Pace,
Aſcendit redimita comas *Victoria* lauro
Sideream ad ſedem, qua Rex ſupremus habebat
Concilium Divûm perpendens omnia ſecum
Quæ faciant homines terris quæque inde ſequantur.
Præſentes colit Illa Deos ac talia fatur;
Cælicolæ Magni, quænam ſententia veſtras
Mutavit mentes? aut vobis cura meorum
Ceſſit abhinc Britonum? nam certe lumina Veſtra
Haud latet ut Victor poſitis inglorius armis
Auſcultet Paci & Victum tam ſæpe Tyrannum
Æquali accipiat coeuntem fœdere. Egone
Dicar ob Hoc Solum toties in prælia turmas
Duxiſſe infractas Britonum, Gallique ſuperbas
Et prius invictas acies ſtraviſſe, pudendam
Gallorum famam raptis Inſignibus augens?
At ſperabam equidem (neque enim ſine Numine veſtro
Me reor Angliacos huc extendiſſe Triumphos)

Non

Non prius Ultrici Britonas desistere ferro
Quam Dux Marlburius grassans victricibus armis
Lutetiæ tonet ad Portas, & fulminis instar
Deturbet solio Regem ———
Talia jactantem Divum Sapientia, Pallas,
Reprimit & ridens, quid Tu temeraria voce
Exultas vana, & secreti nescia fati
Ad Spes tam vastas Te ducis imagine rerum?
At Tibi par fuerat Nobis parere, nec ultra
Quærere, qui maneat supremus jussa Deorum
Finis, quæ Series sese egerat ordine rerum.
Sed ne forte putes te sollicitudine solam
Torqueri, Britonum pariter nos Gloria tangit:
Nec ferient Ullum nisi dextro tempore fædus,
Cum Regina geret Pacem quæ prælia gessit.
Quæ tantas suffecit opes Dux Inclyta Belli,
Auspiciis Eadem Socios in fœdera ducet,
Pendere Jura potens æquatis lancibus Orbi.
Hoc Illi Imperium repletæ Numine Nostro
Ipsa dedi, ut Belli firmas & Pacis habenas
Dirigat, & Rerum Caput insuperabile perstet.
His tamen Auxiliis optatam absolvere Pacem
Vix poterit, ni fata juvent; tanta ardua rerum
Se mole objicient, & tanta Insania belli
Iræque Invidiæque furens Vi, pectora passim
Pulchræ odio Pacis Martisque accendet amore.
Hæc, addit, mihi fas orientia tempora longe
Ex Illo monstrare jugo quod celsius extat.
Aspice Reginam Britonum, quàm fronte serena
Per lætum vehitur populum dum Turba Virorum
Fida Ministeriis stipat, quos pectore fixus
Suadet amor Patriæ lauro præponere olivam.
His Visis stupefacta rogat *Victoria*, quisnam
Ille sit anterior qui semper sedulus aurem
Reginæ inclinat, vocesque referre videtur
Consulto similis? reor, haud Insignibus esset
Talibus ornatus (namque hæc gestamina nosco)
Hos sibi ni proprios Virtus fecisset honores.
Has læte excipiens voces Dea talibus infit.
O Decus & Columen Britonum! Quæ Gloria tandem
Reginæ Patriæque Tuæ ventura, scelestam
Si profugi dextram effugies diramque Tuorum

Invi-

Invidiam, & furias quaſcunque emiſerit Orcus!
Tuque etiam Harlæi ſalve Comes atque levamen
Dulce laborantis, qui tantas pectore fido
Participas curas. Vos ſemper Carmina jungent
Cognatas animas, Vos multo Munere Phœbi
Ornatos Chorus omnis amat Muſæque ſequuntur.
Aſpice Straffordum, Cui, ſæpe experta fidelem
Et res ad magnas aptum Regina, Supremum
Hoc committit opus duro diſcrimine plenum,
Poſſit ut æternum partæ decus addere famæ.
Aſpicis En! Alium, qui mitram vertice geſtat
Atque Sigilla manu, quo non præſtantior alter
Diſcordes æquo conjungere fœdere gentes.
En Multos alios! quorum conſtantia rebus
Conſpicua in dubiis ſeros ſe extendet ad Annos.
Adjungens ſibi tam fidos Regina Miniſtros,
Conſulet Europæ, & lento tabeſcere bello
Non ſinet, at (niſi queis *Pacem* ſua fata maligna
Invideant) Populos felici Pace beabit.
Hæc ubi finierat preſſoque obmutuit ore,
Concilium ſolvit Magni Moderator Olympi;
Perque auras pennis *Victoria* lapſa, reviſit
Militiam variaſque Virûm ſpes atque labores.

Phil. Farewell, A. M. Trin. Coll. Soc.

Ad Epiſcopum BRISTOLIENSEM.

JORDANO ripas jam tranſiliente, Sacerdos
Collocat in liquidis ſeque Deumque viis;
Stans ſacro pede findit aquas, Nova Mœnia ſurgunt,
Undaque fluminibus Ripa fit ipſa ſuis.
Anglica poſt narret, memorat quæ Pagina ſacra,
Undique purpureum Marte vomente Mare,
Ut Tu, Sancte Pater, Te plenum Numinis infers
Fluctibus, & mediis Littora figis aquis.

J. King, A. B. Aul. Pemb. Soc.

O Quem

O Quem canoræ Phœbe potens Lyræ
Heroa Divûm ſedibus inſeris,
Cujus repercuſſum jocoſæ
Nomen amant celebrare Silvæ:
Seu Tu Natantis cælitus Inſulæ
Reviſis oras; ſeu Lyciæ tenes
Dumeta; ſeu lentus recumbis
Caſtalii prope Fontis undas?
Ecquid ſonandum pectine dignius
Quam Vos Beatæ! Vos Animæ! Quibus
Æterna defenſi Penates
Angliaci ſtatuere ſigna?
Videre Lucos jam videor pios,
Sacrique lætas Elyſii Domus,
Maneſque Majorum ſtupentes
Facta novo ſuperata Marte:
Furore tandem percitus Entheo,
Alcæe, chordas altius increpas,
Stat fixus Ixion, nec acrem
Siſyphus ingeminat laborem.
Quin Vos amœna Pace fruamini!
Veſtro paratos Patria ſanguine
Ducens Triumphos Pacis Artes
Compoſitis meditatur armis.
Dicam ſubactas Heſperiæ Plagas,
Et imminutis magna Cohortibus
Te Bella, Mordanti, gerentem
Auſtriacæ memoranda Stirpi:
Non Arma ſemper, Martius aut vigor
Laurus reportant: Eſt ubi præripit
Inſtructa mens, Pectuſque ſano
Conſilio bene præparatum:
Superbus undis dum Tagus aureis
Fulvas arenas in Mare proruet
Te Fama victorem Madriti
Alta canet reſeraſſe Portas.
Dicam tremendas Argylii minas
Rubra vibrantis Fulmina dextera;
Monteſque inacceſſos ſecundis
Auſpiciis Juvenis receptos.

Nec Te ſilebo, Nobilis impares
Invicte Vebbi ſternere copias:
  Te Flandriæ late ſonarunt
    Arva, Vinendaliique Campi.
Solus labantem reſtituit ſtatum,
Et invidendas Imperii vices
  Harleius indefeſſus æquo
    Ferre Humero valet, alter Atlas.
O ANNA, Regum Progenies, Deûm
Donanda Templis, Quæ Tibi creditum
  Sublimis exornas, Tuoque
    Arbitrio moderaris Orbem,
Quæ dedicabit Marmora, quæ Tibi
Tropæa ſiſtet Cura Patrum Tuas
  Sat digna Virtutes futuris
    Perpetuo memorare Sæclis?
Te Mars jubentem cinctus aëneis
Exaudit armis: Nec mora: Per Freta,
  Terraſque graſſantes Catervas
    Frænat ovans, Furiaſque Belli.
Vultu ſereno Pax redit: Aurea
Tandem reſurgunt Tempora; nec timet
  Aſtræa delabi Parentem
    Juſtitiam comitata cælo.

R. Attwood, A. M. Aul. Pemb. Soc.

Ad Honoratiſſ. D. D. Baronem HARCOURT *Magnæ Britanniæ Cancellarium.*

SPLENDOREM antiquæ qui ſtirpis honoribus ornas
Ipſe decus proavis, lumen reddiſque paternum
Auctius, eximio cui dignans ANNA favore
Juſtitiæ dedit arbitrium, legeſque tueri.
O mihi ſi minima eloquii, ſuadæque potentis
Qua flectis mentes, & corda ſequacia fingis,
Pars eſſet, facili fluerent tum carmina vena;
Carmina quæ poſſent animos ſedare furentes,
Et blando inviſæ ſuccendere Pacis amore.

Quid

Quid deſiderio torques Pax alma, diuque
Suſpenſos incerta tenes? nunc clara decorum
Oſtendis caput effulgens, mox luce maligna
Perſpiceris ſub nube latens, nos undique circum
Funduntur tenebræ, telorumque ingruit horror.
En tandem Divam fugientem prendimus, ægri
Incaſſum nec ſuſpiravimus, en Jubet ANNA,
Compoſitique ſilent ſtrepitus, fera bella reſidunt,
Pacatiſque quies terris late incubat alta.
At vos lætitia diffundite pectora gentes
Attritæ bello, longos & ſolvite luctus:
Cernite qua nuper ſeſe explicuere cohortes
Ordine terribili, & campum texere patentem,
En deſerta vacat regio, lateque ſiletur.
Nec tuba languentes animos clara increpat, acrem
Virtutem inſpirans, diro nec fulmina belli
Diſſultant crepitu, pulſus dum fluctuat aer,
Et ſonitum pugnæ mixtum, voceſque volutat.
Non vigilans portas timor excubat ante, nec hoſtis
Callidus inſidias explorat mœnia circum.
Nuda ſinus tellus viridi ſe veſtit amictu
Gramine læta novo, læſoſque inſtaurat honores,
Atque impune ſeges vacuum jam prodit in æquor.
Nec tamen ipſa intacta malo viget Anglia victrix
Fortunata ſitu, non hoſtibus obvia ſævis,
Quam Pater Oceanus liquido munimine cingens
Diſtinet a lætis bellum feliciter oris.
At Pax replet opes exhauſtas, undique ridet
Copia, miraturque novas Brittannia merces,
Et fructus proprio quos non tulit ubere glebæ.
Jamque fides pelago, nemoris jam gloria Quercus
In mare deſcendit, ſilvam detonſa comantem,
Quæque altis fundata ſolo radicibus hæſit,
Nunc vaga, & inſtabilis, veliſque ferentibus apta
Findit iter liquidum, & peregrinas advolat oras.
Tu, Pax, everſo pergas ſuccurrere ſæclo;
Ne tamen inſidias, vultuque infida Sereno
Diſſimules fraudem, mendax dum gaudia præfers:
Moliris nil tale, metus ſecedite ficti;
Erectæ Britonum mentes, & vivida virtus
Vincla indignantur, nequeunt ſubmittere turpi
Colla Jugo, libertatem ſed pectora ſpirant.

Nec

Nec cultu immodico vanos adſciſcet honores
Relligio, pompa vel luxuriabit inani
Conſumpta in Speciem, Papam, fictumque Tyrannum
Quid metuam? aereis tradam ludibria ventis
Irrita, quæ, veri cum lux inimica refulſit,
In noctem, atque leves abeunt evanida fumos.
Sic tenues cæca volitant caligine formæ,
Terribiles viſu formæ, pavidiſque timorem
Mentibus incutiunt; quas fama eſt linquere terras,
Et raptim celerare fugam, cum languida primis
Purpureum radiis Aurora retexerit orbem.

Edv. Adams, A. B. Coll. Regal Soc.

TRISTIA vix Magni plorarat Fata Wilhelmi
Anglia, quem toties funeſto Gallia Marte
Graſſantem horruerat, Terraque Marique potentem;
Cum faſtu elatus Lodoix, nova prœlia tentans,
Pallenti Europæ crudelia Vincla minatur,
Atque Tibi inſultat, Brittannia; neſcius Ille,
Quid Bello horrendo poſſit quid Fœmina in armis;
Sed debellato didiciſti, Galle, furore,
Quid Bello horrendo poſſit quid Fœmina in armis.
En! Solium Angliacum ſummis Virtutibus ANNA
Aſcendens, miſero gaudet ſuccurrere ſæclo.
Scilicet Imperii Pondus Gallique prementis
Suſtentat molem, fortes in prœlia mittit
Heroas, Patriæ violati fœderis Ultrix.
Marlburium video lætis aſſueta Triumphis
Agmina ducentem, Dextraque in Marte potenti
Germanas tutantem Aquilas, patrioſque Britannos.
Heu quales Acies fudit, quantaſque cievit
Strages! Fulminei non impar Ille Gradivi
Armatus framea mediis in millibus arſit.
Ah! Utinam Lauro placidam junxiſſet Olivam!
Non opus eſt rapido contundere fulmine Gallos,
Corporaque horrendis late proſternere telis,
En! Tua jam, Regina, feras ſine vulnere mentes
Devicit Pietas ſiccis lætata triumphis!
Bis Victrix Regina, Tuo quæ fulmine terres
Marte potens, ſed vincis amore potentior Hoſtes!

Vidi-

Vidimus Harleium, cui magnam Mentem Animumque
Inſpirat Numen, ſubeuntem mille pericla,
Nec, Guiſcarde, tuo timidum ſe opponere telo,
Dum Patrias Leges, dum Relligionis Honorem
Aſſeruit, Solioque ANNAM ſtabilivit avito
Conſiliis & Pace valens. Sic maximus Atlas
Inſudans Cælos immani vertice fulcit.

Vos precor, O Superi, queis noſtra Britannia curæ eſt,
Hunc ſervate Virum, ne direptum Anglia ploret
Palladium, Hoſtiſque accenſi cito ſentiat iras.

Quis novus hic Hoſpes, qui miti inſignis Olivæ
Incedit Ramo, Angliacis nova Gaudia portans?
Agnoſco Vultum Mitramque in pace potentem.
Hic eſt, quem tanto exultans Brittannia plauſu
Gratatur Reducem —— Quin Tu, Sanctiſſime Præſul,
Cujus conſilium Europæ compeſcuit Iras,
Reſpice diſcordes Anglos, Precibuſque furentes
Componas Animos, placataque Numina reddas.

Et Vos, Heroes, quos Laudum arrecta Cupido,
Ardorque in Patriam Divûm ad Conſortia miſit,
Cæleſti comitante Choro, hæc felicia Regna
Deſpicite, & læti conjunctis plauſibus Omnes
ANNÆque & Vobis partos celebrate Triumphos.

Pergas, ANNA potens, & jam feliciter Hoſte
Pacato, proprias placide tuteris Olivas,
Æternaque Tuos conjungas pace Britannos.

Joh. Rigden, A. B. Coll. Div. Joh.

HUC agite, atque odiis Divam celebremus omiſſis,
Diſſita quæ ſacro fœdere regna ligat.
Ergone, quæ nobis nimium ceſſaſſe videtur,
Longum ſperati temporis hora redit?
Ergone Pax ANNÆ ingentes cumulavit honores,
Omnis Quam virtus officioſa colit?
En: ut per cælum fulgentes explicat alas,
Et ſpargit radio lucidiore diem!
Ut properat jamjam telluri inſiſtere noſtræ!
Aſpicite, & lætos tollite ad aſtra ſonos.
Ecquis lætitiæ pudor eſt? jam, ſobrie, larga
Vina bibas, ſanos jam furor iſte decet.

Quiſque tibi longam potet, Regina, ſalutem,
Sola tua incolumes nos facit, ANNA, ſalus.
O Quantus nunc ſæclorum ſeſe explicat ordo!
Viſura eſt quales Anglica terra dies!
Pax belli ſtrages, monumentaque triſtia Martis
Deſtruit, & præſens cuncta vigere jubet.
Sic quando Ventorum inſana licentia fluctus
Excitat, atque ingens per freta ſævit hiems;
Si voce increpuit Neptunus, flamina ceſſant,
Et taciti rident æquora læta maris.
Jam pia Relligio floreſcet, & auſpice Pace
Longa ſalutiferas trans freta mittet opes.
Quas ædes, Regina, ſtruis? quæ condere templa,
Tantum Paulinis inferiora, paras?
Quas arces ANNÆ auſpiciis, quos ſurgere muros
Cernes, Regali nomine digna Domus!
Publica jam toties exhauſta æraria creſcent,
Quod Regina petit, Curia ſponte dabit.
Scilicet abſumptæ crudeli peſte duelli
Reſtituet genti robora firma ſalus.
Quæ vires nullæ potuiſſent perdere bello,
Ardua Dunkirki mœnia pace cadent.
Utraque in Albionem portabitur India, noſtræ
Divitiæ, totus quas parit orbis, erunt.
Nimirum, poſt longa cruenti tædia belli,
Quæque artes ANNA, & Pace fovente vigent.
Ut flores læto rorantes imbre renident,
Cum Sol purpureo lumine pingit agros.
Æternos Cæſar populando expectet honores,
Et ſperet, Prædo qui fuit, eſſe Deus.
Tu vero invitas gentes ſervare laboras,
Regina, & pacem juſta per arma petis.
Et Quis Reginam culpet? Quis talia demens
Abnuat, & malit bella nefanda ſequi?
In bellum armatur truculenta Gorgone Pallas,
Poſt Illam graditur Mors, Timor ante volat;
Sed tamen Hæc oleæ admirans venerabile donum,
Temperat invictas, fortis ut ANNA, manus.
Tu, Pax, hanc Delon ſiſte, & quæ fœdere gentes
Tot Jungis, Britonum pectora Junge, precor.
Diſcordes coeant cives in fœdus amoris,
Nos premet externo nullus ab hoſte metus.

Edv. Kemeys, Coll. Regal. Alumn.

ASTRÆAM

ASTRÆAM redeuntem, & bella exhauſta canamus,
Emeritaſque acies, & jam ſine cæde Triumphos:
Tuque Minerva, adſis, poſita ſed caſſide, pugnas
Jam celebres, olim quas inſpiraſſe juvabat.
Ulterius Regina vetat ſævire tumultum
Armorum, bellique minas; & tanta tropæûm
Gloria non placuit, nimio quod ſanguine parta,
Nec referat lauros indefletoſque Triumphos;
Ocius ANNA tuos reprimit, Bellona, furores,
Nec ceſſat, donec patrium detruſit ad Orcum
Te, Furiaſque tuas, diſcordia numina belli.
Uberibus lacrymis viduæ, lacrymiſque parentis
ANNA dedit finem, tantos miſerata dolores,
Quæ fuit ipſa parens, viduarum & conſcia luctus:
Et non oblita eſt, ſævo in certamine Martis
Vulnera quæ turmæ pro Libertate tulerunt,
Pro Patria atque ANNA; ſic Dî voluere rependi
Heroas Britonum, quorum victricibus armis
Collo excuſſa jugum exultans Europa reſurgit.
Nunc tantum ludant belli ſimulacra theatris,
Nec jaceat miles niſi in hac inhumatus arena:
Hic fuſas acies everſaque mœnia detur
Spectare, hic Britonum reſonent ANNÆque triumphi.
Non tamen abſiſtunt Britones, quia dextera bello
Deficit, aut minor armorum generoſa cupido,
Sed major pietatis amor, paciſque triumphi.
ANNA quidem, ut Macedo (tamen hoc diſcrimine) plures
Explorat, tantum plures ut protegat orbes.
Jamque acies cohibet, cum res evertere poſſet
Borbonias, & humi tot diruta mœnia fument:
Sic fulmen belli Armoricis Edoardus in oris
Victrices turmas ſpoliis tot onuſtus opimis
Frænat, palantique animoſus ab hoſte recedit.

Gul. Bourchier, Coll. Trin. Alum.

SUB-

GRATULATIO

SUBSEDERE gravis jam tandem incendia belli,
Nec amplius diſcordia
Haurit opes noſtras multos dominata per annos,
Sed nomen hoſtis exulat.
Vicerunt alii Gallos feliciter, ipſum
Sed ANNA Martem contudit.
Gentibus Illa diu vexatis cæde, metuque,
Dulcem quietem reddidit.
Reddidit Illa diem feſtam, quæ gratior omni
Venit triumpho patriæ.
Vincula quis dubitat pacis manſura, quis audet
Concordiam divellere,
Cum Regina illos hortatur fœdus inire,
Quos poſſet armis cogere?
En Lodoix Anglis animo ſe jungit amico
Vinctus catena duplici.
Auſpicia hinc ANNÆ impellunt, vireſque ſecundæ,
Inde & benignitas pia.
Felices repetit terras ſecura Voluptas
Æterna ſpondens otia.
Dilectæ Charites nexu propriore ligantur
Prægeſtientes cernere,
Quam bene gens humana ſuos imitetur amores,
Et mutuam concordiam.
Hæc facies rerum nunquam mutabitur, ANNA
Suos Britannos dum regit.

Gul. Hawtrey, Coll. Regal. Alumn.

QUALITER excitus Venantum vulnere ſæva
Maſſylus movet arma Leo, quem arcere frementem
Telorum genus omne nequit, quin dente tenaci
Obſtantem rapiat ſecum laceretque colonum,
Donec ſeſe ultus paulatim inhibere furorem
Incipit, atque Animo luctantes excutit Iras:
Haud ſecus Invicti Britones, Fortiſſima Pubes,
Supplice, deponunt jam corda ferocia, Gallo,
Immemores odii veteris, Bellique cruenti.
Accipe, Magna Parens, Generoſa Britannia laudem
Quæſitam meritis; ſævis Inimica Tyrannis,

Sed

Sed nunquam ad duras Miſerorum ſurda querelas!
Sed nunquam Victos nimium Crudelis in Hoſtes!
En! ubi pacatos Præpinguis Flandria campos
Oſtentat, noſtram reſonaverit Incola Famam,
Ridere inſolitis cum cernet Fructibus Agros,
Cum tutæ ſurget fœcundo ex ubere Glebæ
Cæde ferax Seges, & Britonum de Sanguine Meſſis.
Materiam inveniet noſtro de nomine, Muſam
Agreſtem meditans ſub munito Aggere Paſtor,
Sparſa boum vacuis paſſimque Armenta videbit
Caſtris Marlburi & vallo mugire relicto.
Undique viſendi ſtudio venit Advena, Scenam
Bellorum explorans; Magnas a Sedibus Urbes
Everſas ſtupet hic, Saxis avulſaque Saxa
Murorumque Minas illic, Veſtigia Martis:
Ipſe animo hoſtilis fingit ſimulacra Tumultus,
Eugeniumque videre recentem a cæde videtur,
Ipſe timet ſtrepitus, fictæque Pericula Pugnæ,
Tantus ubique Horror, terret ſimul Ipſa Ruina.
Hæc ubi perluſtrans animo mala plurima volvit,
Borboniæ Gentis ſcelus execratur avitum,
Ingentique ANNAM ſua fert ad ſidera laude.
At Patriæ fines tandem Arva Britanna reviſens
Miratur Miles celſas ſe tollere moles,
Sanctum Pacis opus, Templis Decora alta futuris.
Multa rogans natos, jam Grandes, excipit ulnis,
Amplexuque tenens reduces ex agmine toto
Monſtrat Ductores, & facta & nomina narrat;
Hillumque Webbumque acres, Duo Fulmina Belli.
Te quoque monſtraret ſi, quas in bella ruentes,
Marlbure, aſſuêras turmas ſtimulare, videret
Ad Patrias modo ducentem Feliciter oras,
Tu tamen ah! — faciles veletis cætera Muſæ.
O Quis mirandos digno canet alite Vates
Annales, Regina, tuos? ſuper omnia late
Juſtitiam video ſperata extendere Regna;
Amplius haud detenta ſuis en Pallas Athenis
Præſens! voce nova Camuſque Iſiſque canentum
Jam nunc tardantur, gratiſſima Flumina Phœbo.
Hæc reputans humilis deducto carmine grates
Muſa parat; Tuus aſt utinam Spencerus adeſſet,
Pembrochiana Domus! Spencero digna geruntur.

GRATULATIO

At quanquam, quibus Ille ſuam celebravit Elizam,
ANNA, mihi haud detur numeris tua dicere facta;
Reſpicias placide tamen Hos, Inſignia Cultus
Exigua Ingentis, Mentis munuſcula gratæ.

Wilhel. Crayford, Aul. Pemb. Alum.

LAUDARUNT Alii felices Marte Britannos,
Venales & ſanguine Lauros;
Laudarunt merito; Quis enim neget Anglus Honores
Malbrovio, & victricibus Armis?
Jam vero Arma ſilent, Rediit cum Pace Minerva
Jam Belli defuncta labore:
Hæc dedit Ingenium Nobis, Hæc otia fecit,
Paciferis Dea Candida Ramis:
Te, Dea, Quam memorem! poſita cum Gorgone Dira,
Sacram ANNÆ cum induta figuram,
Hanc animo & vultu referebas, viſere tandem
Belligeros dignata Britannos;
Briſtoliæque vocans Paſtorem ex Omnibus Unum,
(Sæpius Hunc experta Fidelem,)
Qui Pacis Divina ferat Mandata, Britannos
Indomitos Qui temperet, Inquis:
'I Legate Dei, Patriæque, I Care, perenni
Europen & Fœdere jungas.
'Gallia mæſta diu gaudentes ſanguine Natos
Jam ſatiatos ſanguine vidit:
'Creſcentes Lauros reprimat matura Britannûm
Gens Superis dilecta, decoro
'Ne pigeat ramo ornari Pacalis Olivæ.
Se Vincat, Quæ cætera vincit;
'Ex Gallis a ſe doctis ſuccumbere, diſcat
Incertis non fidere Rebus,
'Semper & O, Quamvis imitetur cætera Gallos,
Sit ſemper diſcrimen in Hac Re.
Conſilii expertum Pallas ſic fata Miniſtrum,
Huic multos afflavit Honores.
Hunc Pietate gravem ut vidiſti Europa, repente
Conticuerunt Horrida Bella;
Indignans primo renuit Bellona Catenas,
Eloquio ſed victa quievit;

Agnovit

Agnovit tandem gaudens Europa Salutem,
Et Præſentia Numina Divæ.
Sit Procul Hinc, Quicunque Armatum pectus habebit,
Nunc poſitis feliciter Armis.
Eximii Heroes, Patriis quos detinet Oris
Flandria Franco Sanguine Pinguis,
Publica Qui toties peperiſtis gaudia, tandem
Publica gaudia percipiatis;
Si vos Bella juvent, memoretis priſtina Bella,
Et Franco deſcribite Vino
Campos, Quos toties tinxiſtis Sanguine Franco;
(Hos Olim meminiſſe juvabit)
Non ANNÆ Immemores tamen inter Pocula læta,
Et Bellis & Pace Potentis,
Belligeros, Vos O Fortiſſima Corda, furores
Heſperio Committite Ponto:
Sic Vobis faciles fiant redeuntibus Undæ;
Sic revehat Vos Mollior Aura.

Ad. Elliot, Coll. Regal. Soc.

BELLORUM aſſiduo confecta Europa tumultu,
Natorumque graves iras miſerata Suorum,
Sanguine fœda virûm, & diſciſsâ ſordida pallâ
Albionem inviſit; tum Regia Tecta Stuartûm,
Auguſtumque ANNÆ Thalami penetrale petivit.
Hanc magnas magno verſantem pectore Curas
Infelix querulis compellat vocibus ultro:
Ergone vexabunt Noſtras fera claſſica gentes
Perpetuo, & putres quatiet gravis ungula campos?
Et fruſtra gravidis flaveſcent frugibus Agri?
Quid Cereris prodeſt, quid mitia dona Lyæi
Ferre? quid immodicis quod nulla caloribus uror?
Quod rabidæ Tigres abſunt, tumidique veneno
Angues, nec fulvos metuunt armenta Leones?
Felix prole Virûm! ſi non tam Martius Ardor
Afflaſſet miſeros, & Laudis dira Cupido.
Sat Furiis iræque datum;——————
Tu, Decus, & præſens rerum Tutela mearum,
Arma infeſta prior ponas; Teque auſpice, demum
Unanimi coëant in mutua fœdera Reges.
Te Gallus, Te durus Iber ſocialia pacta

Jun-

Jungentem accipient læti; Te Cæſar amicam
Agnoſcet poſitâ tandem placatior irâ;
Te Batavus, Te Iſtri potator, & Accola Rheni.
Dixerat; ANNA jubet concordia Fœdera jungi,
Ulteriuſque vetat Socios concurrere bello.
Conſenſere omnes, ponuntque ferocia læti
Corda volente ANNA; ceſſit Letalis Enyo,
Iræque inſidiæque, & pallida Mortis imago.
Alma Fides ſubit, & teſtatus gaudia vultu
Dulcis amor, cœciſque diu celata latebris
Aurea Pax Niveis plaudens circumvolat alis.
Haud ſecus armipotens gentes Tritonia Virgo
Nunc in bella ciet, galeâque & Gorgone torvâ
Horrida ſanguineum funeſta ad Prœlia Martem
Provocat, aut Thracas debellatura feroces
Aut Phrygas indomitos; poſitis nunc mitior armis
Cecropidis dat jura ſuis, placidoque renidens
Numine turbatas ſolvit formidine terras,
Sævi Eadem belli præſes, Paciſque Magiſtra.
Tuque adeo, tua præcipue quo Cive ſuperbit
Anglia, quo gaudet Fido Regina Miniſtro,
Auſpiciis ANNÆ felicibus otia blanda
Impiger infractis peperiſti, Harlæe, Britannis,
Pacis & ornandas donaſti ſedulus artes.
Te magnos auctore excepit Curia Patres,
Pulchrior enituitque novo præſignis honore.
Qui ſimul ac Britonum ſucceſſiſti, Inclyte, Rebus;
Extulit os ſacrum Felix Concordia Cælo,
Et trepidas exul Terras optata reviſit;
Cædibus aſſiduis udus non perfurit Enſis,
Infeſta & prohibent Reges procedere ſigna.
Ipſa venenatâ non audet carpere linguâ
Invidia, atque in Se tacite mirata receſſit.
Sic Phaëthonteas mundo lugente ruinas,
Mobilia excepit ſignantes tempora currus
Phœbus, & effulgens radiis ſpectabilis aureîs
Victrices domuit fauſto moderamine flammas.
Extemplò frondere ſolum, ſemûſta renaſci
Gramina, lætificis miteſcere fructibus arbos,
Almaque fœcundo Tellus revireſcere partu:
Servatum Superi celebrant Pæanibus orbem,
Jupiter & ſummo tutus conſedit Olympo.

L. Ward, A. B. Coll. Jeſ.

ΔΕΥΡ' ἴθι, Μῶσα Θεὰ, ἐπίχαρτόν τ' ἔννεπε φήμιν
(Πάντ' οἶδας', ἀμαθῆ δ' ἐμὲ κλέος, ἄπυστόν τ' ἔμμεναι οἴω)
Ἡδεῖαν Βρεττανοῖς, ἠδ' ἀνδράσι δυσμενέεσσιν,
Οἳ πρὶν ἐπ' ἀλλήλοισι φέρον πολύδακρυν Ἄρηα.
Εἰς μέσον Εὐρώπης μακρῆ κατέβαινεν Ὀλύμπῳ
Εἰρήνη δηρὸν μὲν ἀπεστ', πόλεμός τε πέπαυτο.
Οὐκ αὖθις βοόθοος Ἄρης, καὶ φύλοπις αἰνὴ,
Σάλπιγγι κόναβῳ, συνόχλησίν τ' ὀδύρματα φωτῶν
Ὀλλυμένων, μητρῶσι ἀναλκείῃσιν ἀνύσσα.
Φλανδρικάς τε φόνους· νεκύων καὶ αἵματι γαῖαν
Αἰχίσιν· κλειτοῖσι Δανῶν δ' ἠδὲ ῥεέθροις,
Πορφυρέοισι· φόνῳ Βλενεΐμιν μόρσιμον ἦμαρ,
Σιγῶ· λυθρώδεις νίκας, κακὰ ἄλγε' ἔχουσι,
Κυδαλίμης εἰρήνης ὡς κρείττων μάλα νίκης
Ἀνδρῶν ἣ πολλὺς ἄϊδι προΐαψεν ἀγαυούς.
Ἥρῳ κῦδος ἔχοντ', εἰς πατρίδα καλλιγύναικα
Ἆψ ἀποσῴσαντα, φόβον Φραγκωϊδι αἴσης
Εὐφρονέοντ', ἢ ἔδιδαξε, δέξατ' ἀκοίτις
Ἀγκοίνῃσιν ἑλοῦσα, καὶ οἷα ἔπαθεν ἐρευνᾷ,
Υἱέες ὡς, καλαί τε θυγάτερες, ἀγλαὰ τέκνα.
Ἀνλιθέη Βασίλεια, ἣ Ζεὺς μοὶ σκῆπτρον ἔδωκε,
Χαῖρε, θεοῖσι φοῖς ἣ μήδεσι πάντα τέλεσσας
Δυσμενέας τ' ἐδάμας, καὶ ἀμύμονα λαὸν ἔσωσας·
Ἀλλὰ Θεὸς Σοὶ ἀρωγὸς ἐγίνετο, μήδ' ἄρα πάσχε
Μήδεσι δμηθῆναι δολίοις, ἐχθρῶν τε ἀπειλαῖς.
Φραγκώων βασιλεὺς, πάσης μέγα δεῖμα πάροιθε
Τῆς Εὐρωπείης, ἰκέτης θοὶ ῥ' ἔλδετο εἶναι·
Οὐτὲ μένων αὖθις μαχέσασθ' ἐναντίον· ἀλλὰ
Ἥιτεε μὲν φιλότητα καὶ ὅρκια πρὸς γενέθλης,
Ὧν κυρῶν, ΑΝΝΗ κῦδος νῦν τ' αἶνον ὀπάζει
Τῇ ὅτι μὴ ἔρεισες φίλαι, πόλεμοί τε, μάχαι τε·
Οὐδ' ἀνδρῶν τέρποιτο φόνοις, σπαραγῇς τε δαμάρτων·
Ἦδ' ὅτι δυσαμμὴ ὀλέκειν, πῷ ἔπλεθε φίλη·
Ὦ μάκαρ Ἀρλεΐ· Ὦ μοιρηγενὲς, ὀλβιόδαιμον
Βρισόλι, αἰδοίης μίτρης μέγα κῦδος ὃς ἔσπ·
Ὦ Στραφφόρδε, φρένας καλῶς πεπυκασμένε βελαῖς·

GRATULATIO

Ἀγλιακός δ' ὅσα ὔμμι χαείσματα λαὸς ὀφείλει,
Εὐπεφιλῶν, ἃς πάντες ἐόργατε πατείδα γαῖαν;
Πόλλ' ἀγαθὰ πεφέξαντες, τ' ἄλγεα πολλὰ παθόντες
Ἀρχέκακοι δόλιοί τε ἃ ὑμῖν ἄνδρες ἐκόσμευν·
Ὑμεῖς τῶ Βρετανῶν βεβολοιγὸν ἀμύνατ' Ἄρηα,
Δώκατέ τ' εἰρήνλω, νίκης μάλα κρείτονα· πάντως
Ἡδεῖ' εἰρήνη· νίκης κλέος, ἠδὲ κῆ πένθω.
Χαῖρε δέ μοι Βασίλισσ' Ἄγλων χρυσόθρονω ΑΝΝΗ,
Σοὶ μεγάλλω περ Ἄρης τιμῆ πολίπορθω ὄπασσε,
Μείζον ἔδωκε κλέος δ', Εἰρήνη, δῖα Θεάων.
Αἴθ' Ἀγλοισι τεοῖσι πολὺν χρόνον ἐμβασιλεύοις.
Χαίρετε Ἀγλιακῶν παῖδες, κῆ ἀμείβετε Νύμφαι
Εὐπλόκαμοι, καλαὶ, λιγυρῆς μὴ φείδετ' ἀοιδῆς.
Χαίρετε Λονδίνα εὐπύργα ἄκρα κάρηνα,
Γραντὶς τ' ὡς χώρη, ἣν μᾶλλ φιλέεσκεν Ἀπόλλων·
Χαίρετε νωλεμέως κατ' Ὄλύμπια δώματα Μῦσαι.

Adam Barnes, Coll. Div. Joh. Alumn.

DEFUNCTA Longis ANNA Laboribus
Secura tandem Gentibus Otia
Indulſit; æternamque Pacem
Auſpiciis iniit ſecundis.
O nos beatos! Quos neque Civium
Effuſus Ardor; nec Furor Hoſtium;
Nec *Cæde gaudentes Sigambri*
In nova proripuere Bella.
Non jam æſtuoſus cruda Cadavera
Devolvet Iſter; ſed Britonum Decus,
Cum Pace delabens in Ortum,
Per medios feret Ottomanos.
Belli ſecundos audiet Exitus
Princeps, Britanni Nominis æmulus,
Præclarus Exul; Sueciarum
Triſte Decus Columenque Rerum:
Dicetque tandem: Væ miſero mihi!
Quam pæne ſummo Culmine decidi!
Vexilla Victor pæne Moſchæ
In media poſui Suburra.

Crebris

Crebris gemebat Ruſſia Cladibus,
Moſcho erubeſcens ſanguine Viſtula
  Retorſit Undas; Orbis Arma
    Attonitus ſtupuit Suëca.
Europa ſummum quem vocet Arbitrum,
Dignus videbar; quidlibet impotens
  Sperare, Fortunaque dulci
    Ebrius: at minuit Furorem
Pultova Clades: occidit, occidit
Spes noſtra! at ANNÆ Dextra potentior
  Terris redonavit perennem
    (Sic Superi voluere) Pacem.
Me, Diva, Rerum proſpera reſpice,
Dum te Batavus, Gallus, Iber colit,
  Supplex & Europæus Orbis
    Compoſitis veneratur Armis.

Joh. Thomas, Aul. Kath. Alumn.

POST tot fœdatos Fluvios, Agroſque natantes
  Sanguine, laſſatamque diu Furialibus armis
Europam luerint ſi non ſat crimina Gentes,
Si ſatis offenſum Numen non ſæviit; eheu!
Quæ nos Fata manent? vel quis manet exitus? O Dîî
Parcite, & afflicto faciles ſuccurrite Mundo:
Nunc, O nunc reſerata nimis jam limina Jani
Claudite, & æterna clauſum ſervate catena.
  Quo vero queruli gemitus, aut vota Britannûm?
Conſilio Harlæus pollens, & mente ſagaci
Effecit, quod vix auſi ſperare Britanni.
Pacis opus primum mirerne? domive repreſſam
Inſanam Turbam, quæ Pacem lumine iniquo
Aſpexit, Patriæque inimica obſtabat honori?
  Luminibus vero liceat mihi credere noſtris?
Fallorne? an video Pacem, florente Corona,
Ire per Anglorum Terras? Radioſque Comaſque
Et video, noviique ſatis: neque Factio nectit
Longius atra moras; crebris aſſultibus inſtans
Sæpe novos iniit, ſemper ſpe futilis, auſus.
Ut cuncta exultant, audito nomine Pacis!
Undique jam Populi, qui tandem tædia longæ

Excuſ-

Excuſſere moræ votis communibus, omnes
Lætantur, ſpectantque Deam: lætatur & Ipſa,
Exhilaratque ſuo dejectas lumine mentes.
Nec tamen interea tanta inter gaudia, tantam
Lætitiam Populi, memores non poſſumus eſſe
Briſtolli, Pacis patriæque Deoque fidelis
Legati; Te ſæpe Eccleſia, ſæpius ANNA
Conſulit; Harlæus Tecum communicat alta
Conſilia, arbitrioque tuo, Briſtolle, quieſcit.
Quæ Vobis, quæ digna, Virûm Par Nobile, (tantam
Quos voluit rabiem, tantos compeſcere motus
Provida Cura Dei) Brittannia præmia ſolvat?
Illa quidem ſolvet grates; & cætera Vobis
ANNA dabit, manſura dabit per ſæcula Fama.
Ut jam per Terras facies placidiſſima rerum
Ridet, & incipiunt fauſti procedere menſes!
Qui modo funeſtas agitarunt mentibus iras,
Mutuam amicitiam, & ſocialia fœdera jungunt;
Et late ceſſant crudelia Bella per Orbem.
Auſpiciis hæc, ANNA, tuis perfecta videmus,
O Patriæ Tutela tuæ! Tu Maxima ſemper
Diceris Nobis, & eris Tu maxima ſemper.
Non aliam Dominam ſupra Te Europa fatetur,
Te Mediam Belli & Pacis; Tibi Maximus ultro
Jam cedit Wilhelmus; eaſdem jungere Gentes
Aggreſſus, plus æqua operis Tibi parte reliquit.
Gaudia jam tandem læti captate Britanni,
Quod votis optaſtis, adeſt. non amplius atro
Sanguine fœdantur Fluvii, non prælia Campi
Jam ſpirant; ſiluere Tubæ, ſiluere Furores,
Et rabies Belli. Gladius nunc vulnera figit
Vitibus innocuis, funeſtaque ſpicula Martis
Horrendi placidæ Cereris ſinuantur in uſus.
O nunquam mutent faciem! defeſſa quieſcat
Europa, & lenti reparet diſpendia Belli:
Tuque, ANNA, externis quæ donas Otia Terris,
Pergas internos Populi ſedare tumultus.

Richardus Leightonhouſe, Coll. Regal. Alumn.

MARS ab Aloïdis quondam (ut fert fama) ligatus,
Vincula, captivis quæ facit, Ipſe tulit:
Nunc iterum Arctoas Deus ille refugit ad oras
Reginæ veritus vincula nexa manu.
Pallas at ut mœſtum videt æmula Diva Gradivum,
His dictis hebetem luſit amara Deum.
" Miles habent poſitis Artem quam exerceat armis
" Deſuetam, Belli ſed Deus ipſe nihil.
" O cujus nullum eſt ſine cæde & ſanguine Numen,
" Ecce! tuis armis te, Deus, ANNA fugat.
" Illius eximios ornabis & ipſe Triumphos?
" Et tandem vinclum te muliebre manet?
" I fuge, Hyperboreo potius frigeſce ſub axe,
" I patriam procul hoc pulſus ab orbe petas.
" Incultas vileſque animas ad Tartara mitte,
" Non alios quam te quæ coluere Deos.
" I Scythicas, qua Volga fluit, diſperde cohortes,
" Victima ibi gladiis eſt magis apta tuis.
" Pacificam hic Regina Lubens colit uſque Minervam,
" Aſt Invita tuis eſt operata Sacris:
" Turea Dona Aris Britones Pietate vel Armis
" Inſignes pariter ſæpe tulere meis;
" Non alii plures vitam excoluere per Artes,
" Hic auget veteres, invenit ille novas.
" Nunc mea, ſiquando, late ſe pandet Oliva,
" Perpetuo in ſertis dum viret, ANNA, tuis.
" Et quoniam Antiquas jam barbarus Hoſtis Athenas
" Occupat, & dudum diſplicet iſte Locus:
" Cara mihi ante alios Granta & Rhedycina receſſus;
" Hic ANNÆ, geſſi quæ prius Arma, canam.

Gerardus Whitworth, Trin. Coll. Alumn.

SANCTA ad Templa Deum grati ducantur Honores,
Sanctior impoſitis reſplendeat Ara Coronis,
Dîs ſemper Pietas, ſemper Brittannia Curæ eſt.
Alma Fides, & quæ Terras Aſtræa reliquit
Averſata malum, Terras Aſtræa reviſit
Placata, & miſeris quæ fuderat Anglia votis

Æquior, & Magnæ Virtutibus æquior ANNÆ.
Illis læta Comes nitidis Pax advolat Alis
Exultim ludens, & victo Marte triumphans.
Sera ANNÆ fruſtraque diu quæſita, Brittannis
Pax redit; at centum Nodis devinctus aënis
Poſt Tergum, ſubjecta quatit Furor impius Arma
Infrendens, animumque ſono delectat inani.
Gratia prima Deis. Te mox Venerande Sacerdos
Muſa canet, longumque dabit per ſæcula Nomen.
Te Duce ſæva reſederunt Incendia Belli,
Tu Regum inſanas Iras, Animoſque minaces
Corrigis, & placida componis ſæcla Quiete.
Talis, ubi multo miſcetur Turbine Pontus,
Et fulvis imum Pelagus furit intus Arenis,
Cum circumfuſis obductus nubibus æther
Infremuit, totumque cient Elementa Furorem;
Neptunus tumidis placidum Caput exerit Undis,
Collectamque fugat Noctem, furibundaque mulcet
Æquora, Sol rurſum jaculatur Tela Diei
Lucida, diffuſoque renidet Lumine Cælum.
Æternos peperit ſi Martis Laurus Honores,
Et merito propriam Ormondo Bellona dicavit
Famam, Ormondo armis claro belloque potenti;
Majorem, tibi, Sancte Pater, pia Munera Pacis,
Et fuſæ dulces mellito ex Ore Loquelæ
Famam æternabunt, & quam Regina Britanna
Pacatæ propriam Fronti prætexit Oliva.
Illa ſuas Tibi Virtutes, Animumque potentem
Inſpirans, claræ Legatum miſit ad Urbem
Utrecæ, & Pacis moderari juſſit habenas.
Talis, ubi quondam Heſperias allapſus ad Oras
Arcadis Æneas Evandri Tecta ſubivit,
Auxilii ſocia arma petens & Fœdera Teucris,
Alma Venus vultû roſeos ſpiravit Honores,
Talis conſpicuæ Majeſtas addita Fronti.

Geo. Frohock, Coll. Regin.

ERGO

ERGO iterum redeunt tranquillæ munera Pacis,
Angligenûmque Salus?
Feſtivos audet rurſus ſpondere cicatrix
Jam coitura dies?
Lætum omen! nubes ſe purgat in æthera apertum
Jam propiore Dea.
Cum Sociis Mavors circum ſua clauſtra cruento
Horridus ore fremit;
Gallus enim noſtras vires fidumque Senatum
Vidit & ingemuit;
Vincere deſperans, ſolium dum poſſidet ANNA
Fulmineumque movet
Ormondus gladium, ſupplex in fœdera Pacis
Arcta coire parat;
Regis ſuppliciter mœſti genibuſque minoris
Audiit ANNA preces;
Ex illo ultrices ſubſidunt leniter iræ,
Et redit alma Quies;
Alma Quies; nec quid contra conamina Regum,
Nec valuere minæ;
Hector amet cædes, & multis utile bellum,
Pacis inire vias
Quæret Polydamas; lento Regina duello
Hoc ſibi propoſuit;
Bellica ſic viridem Ramum pacatis Olivæ
Palladis haſta tulit.
Dum tamen, ANNA Tibi, turba importuna Poetæ
Munera parva damus,
Gaudia plebs agitat, menſis ardetque ſecundis
ANNAM adhibere Deam;
En! ſpiſſas vincunt tenebras funalia, ducunt
Inſolitumque diem!
En! feſtis fervent ludis, plauſuque ſecundo
Compita læta ſonant!
Adſunt Germanuſque audax, & flava repexo
Gallia crine ferox,
Adſunt, & dextram gaudent contingere, per quam
Incolumes ſteterint.
Plaudite vos o! nautæ, alacreſque inſurgite remis,
Trans mare velivolum

Tuta

GRATULATIO

Tuta patent vobis commercia, ſub ſua jura
ANNA dedit Pelagus;
Angligenæ & Galli nullo diſcrimine aguntur,
Auſpiciis paribus,
Communem populum imperiis felicibus ANNA
Cum Lodoice regit.
Tuque o! cui cælum tribuit conſidere in agris,
Et renovare ſolum,
Aude iterum fidis commitere ſemina ſulcis,
Jam tibi Tuta Quies.
Non lætas ſegetes, non culta novalia miles
Barbarus enſe metet.
Qui ſonipes nunc fræna ferox ſpumantia mandit,
Mitis aratra trahet;
De cœloque tibi fœcundo copia cornu
(Sic jubet ANNA) pluet.
Unanimes populi coëant, almæque rependant
Munera juſta Deæ,
Regnet Amor, lateque domi diſcordia ceſſet
Tetra repreſſa foris;
Inſanæ hinc abeant lites; ſolum utraque ſemper
Certet Amore Pari,
ANNA magis gentem imperio juſto, an magis ANNAM
Gens beet Obſequio.

Tho. Thackeray, Coll. Regal. Alumn.

AT o quid iſte languor, & Silentium,
Et invidi Vultus volunt?
Aut quo juventæ fervidus fugit vigor
Beate Crumwelli nepos?
An junioris torreant adulteræ
Solo Latentis angulo
Riſus? vel acres occupas parum pio
Lites duello ſolvere?
Inſanientis an cultor Sapientiæ
Struis Sacerdoti Dolos?
Curas metuſque ſolve: Quam rugæ truces
Lauro atque olivæ diſcrepant!
Quid Vina ceſſant? huc die feſto, puer,
Affer ſeverum Gallicum.

Dicat

Dicat ſodalis nauſeam quid excitet :
  Vel fervidum Hiſpanum petit?
Miſer! Venena mallem haurire Colchica
  Aut Viperinum Sanguinem.
Depone quæ te cunque fata frangere
  Tentent amicis auribus;
Fideliori non prement ſilentio
  Arcana qui celebrant Sacra.
" O Quantus inſtat (poſteri videbitis)
  " Luctus Britannis! I fuge
" Quocunque te circumvagum rapit mare, &
  " Nautis protervus Africus.
" Felix Tyranni qui tumidas pavet minas,
  " Sequanamque Splendentem bibit:
" Aut belluoſas qui procul Syrtes colit,
  " Inhoſpitalem aut Caucaſum.
" Heu! ſpiſſa fruſtra deſtinas pomaria
  " Molleſque adunas Surculos;
" Fruſtra ſuperbas moles ſollicitus ſtruis,
  " Fonteſque certantes Vitro.
" Non hæc Senectæ ſedes; ſed Dominus brevis
  " Amæna linques Jugera.
" Nec vana terrent; quæ mihi læva ex arbore
  " Annoſa Cornix occino.
" Quid accidit? Formidoloſis ignibus
  " Martyr præuſtus non gemit?
" Cave ah Cave, quo te rapiat malus furor,
  " An ferret hæc Belga duplex?

Johan. White, A. M. Coll Div. Johan. Soc.

Cur ſtruit inſidias pacique obſtacula fingit
  Nequicquam patriæ Gens inimica ſuæ?
Anna jubet large effuſum poſt ſanguinis amnem,
  Cædeſque innumeras, ponere tela duces.
Quiſquamne ulterius diras producere cædes,
  Sanguinis aut Britonum prodigus eſſe velit?
Tu Reginæ, Harlæe, pio ſuccurre labori,
  Magnæ mentis opus perfice, Pacis opus:
Nam quid ſedulitas & cedere neſcia virtus
  Quid fidæ Harlæi non potuere manus?

GRATULATIO

En tandem e mediis fulget Pax clara tenebris
Principe digna ANNA, Præſule digna Dei,
Unica quæ genti potuit fulcire ruinam
En tandem Angligenas Pax miſerata redit!
Qua viſa mediis pallet Bellona Triumphis
Ingemit & ſpoliis Mors viduata ſuis.
Jam Regina ſatis te conſuluiſſe ſaluti
Brittannæ patet; ah! conſule Diva tuæ;
Nulla quies etenim eſt, ſi ſit Tibi nulla, Britanno
Nulla ſalus populo, ſi Tibi nulla ſalus.

Joh. Campion, A. M. Coll. Regal. Soc.

NOSTRA Succeſſus habuere lætos
Vota: poſt longi Mala dura Belli
Pax Triumphali Britonas reviſit
Candida Curru.
Jam cruentato Satiatus Enſe
Janus Ormondi, & prece Suſcitatus
Publica, Martem vacua duellis
Clauſit in Æde.
Jam Mari Terraque Ducem potentem
Pace compoſtis veneratur Armis
Gallia, & Mandata petunt Superbi
Nuper Iberi.
Altior Pompa ſpoliiſque ferrum
Exuit victor placidus, decora
Inter Inſignes Capitiſque Laurus
Creſcit Oliva.
Muneris tanta ſuper impetrati
Gratia, flavis Dea cincta Spicis
Ridet, apparetque beata pleno
Copia Cornu.
Fas verecundi cyathos Falerni
Ducere; & multum, Bromio favente,
Mittit in noſtros bene grata Portus
Gallia Vini.
Ipſa cum longo Grege Gratiarum,
Claſſico dudum male perſonanti,
Lætior Terras repetit quietas
Territa Virtus.

Aurei

Aurei & circum pia Regna ſæcli
Virgo felices quatit alma pennas;
Fauſtitas per quam ſua Reſtituto
Additur Orbi.
Quo rapis vatem mea Muſa plenum
Pacis? Harleium celebrare ſumas
Tibia, vel Pacificam ſalutes
Gratibus ANNAM.
Dic Robinſonum patriæ fidelem,
Inclytum Gentis columen Togatæ,
Hunc aget Penna metuente ſolvi
Fama Superſtes.

Joh. Adcock, Coll. Div. Joh. Alumn.

ILLUXIT jam læta dies; deferbuit æſtus
Armorum, clamorque virum, ſtrepituſque tubarum;
En domitus Mavors! meliorque in pace triumphus!
Pax optata redit, redeunt Saturnia regna,
Aureaque Auſtrali revehuntur ſæcula claſſe.
Paſcet oves fundus ridens, oviumque magiſtros.
Non matrona, querens natum, avulſumque maritum,
Publica privato miſcebit gaudia luctu.
Nullæ concurrent acies, non arma viroſque
Iſter purpureo devolvet vortice aquarum,
Gallorum cladis pudibundus; ni vafer olim
Ludat amabiliter vates horrentia Martis,
Et mala bella diu jam depugnata reponat,
Eliciatque novum ſimulato ſanguine luctum.
Alter erit Ludovicus, & alter qui fluat Iſter
Sanguine, cum pugnax revocabit prælia Muſa,
Heroaſque ſuos defunctos morte refinget,
Et coget veteres in pompam iterare labores;
Multum diſpergat dum pagina dira cruorem,
Et trepidet carmen, raucoque in murmure verſus
Horridus inflatis imitetur tympana buccis;
Percurrens librum, dum lætus imagine ſæva
Sanguineo interſit lector ſine ſanguine bello.
Compoſitas iras renovataque fœdera regum,
Et coaleſcentem ſub pacis legibus orbem,
Jam canimus, læto ridentia carmina plectro;

Majus

GRATULATIO

Majus opus bello! miretur Roma ſuperba
Fulminis alatos Aquilas per bella miniſtros,
Et Jovis & Romæ: & cujus ſuffecerat armis
Non unus mundus jactet victricia caſtra,
Purpureus latro, Spoliiſque ſuperbiat orbis.
Abſtinuiſſe, & non plures egiſſe triumphos,
Laurus erit, Regina Tibi major meliorque
Quam vel Alexandri, vel quam Tua bella dederunt.
O quæ digna ſatis reſonet Lyra? carmine quali
Muſa ſalutatum veniet Te, Maxima Princeps,
Victricem Te, quam minuit, qui comparat, omni
Majorem invidia, exemplo, ſpe, carmine, laude!
Nam Tua fingentem præcurrit fama poëtam,
Atque laborantem poſt ſe videt, & gravat artem;
Verbaque deficiunt, ubi Tu non deficis, Ipſa
Sola Tibi ſimilis, nullamque habitura Secundam:
Impar Muſa ſuas vires, Regina, fatetur,
Et totum obducit ſibi non imitabile velo.

Laurentius Jackſon, A. B. Coll. Div. Johan.

SATIS Triumphos, Prælia, Vulnera,
Infenſa caſtris caſtra, tubæ ſonos,
Virûmque clamores, Britanni
Carminibus cecinere Vates.
Relata Belli Marlburio duce
Tropæa, chartis cuncta fidelibus
Mandantur, ut ſeri legentes
Facta Patrum ſtupeant Nepotes.
Mutare tempus triſtia mitibus,
Pacis Poetas materies vocat;
Præ funebri quam ſemper almæ
Pierides coluere Bello.
Amica Muſis otia Pax refert,
Raucos fragores, & ſtrepitus fugat;
Grato invicem ſecura Pacem
Carmine jam celebret Camena.
ANNA peractum eſt Auſpice grande Opus
Cui nec Wilhelmus par erat; & pius
Præſul, quod infectum reliquit
Marlburii manus ipſa, fecit.

Jam

Jam dira cædes, & Furor impius
Belli quieſcet, nec Lodoix ſuis
  Diffiſus armis ſperat ultra
    Jam domitis dare jura Terris.
Exorat æquis fœdera legibus,
Et vincla gaudens fœminea induit
  Impoſta dextra, nec Britannûm
    Arma iterum juvat experiri.
Quid non beatum ducet ad exitum
Annæ poteſtas, conſilio ſacro
  Adjuta Briſtolli, pioque
    Obſequio populo fidelis?
Ut vicit hoſtes, & bene fœdere
Conſtrinxit, ô ſic ſic Britonum feros
  Sedet tumultus, ſic ſuorum
    Corda domet, doceatque Pacem!

Joannes Ducke, Coll. Regal. Alumn.

En poſt tot ductos Gallo ſuper Hoſte Triumphos,
Tandem felices viſunt Capitolia Pompæ!
Quaſque diu Gentes junxerunt fœdere binas
Imperiique artes, & ſumma potentia rerum,
Devincit Pacis junctas aurata catena;
Et nunc armatam ſe vincit Pallas inermis.
Lilia miſta Roſis fulgent; horrentia Martis
Caſtra Duces linquunt, nunc Mollia Caſtra ſecuti;
Virgo cicatrices tacite ſtupet ore decoras;
Quodque gerit Juvenis forti ſub pectore miles,
Vulnus habet venis: reducis jam Sponſa Mariti
Blande colla tenet, pugnataque prœlia poſcit:
Sic tu, Diva, tuum gremio complexa Gradivum
Vulnera cruda foves, dulcique rependis amore.
  Flandria, Pingue Solum; nuper Scena horrida Martis,
Non jam Præda jaces, non jam ſcena horrida Martis,
Inque ſinu nullum ſentis, niſi Vulnus aratri;
En poſt tot rivos fuſi ſuper arva cruoris,
Florentes Campos Saturnia Regna reviſunt!
Jamque Ceres flavas effundit ſpicea fruges,
Qua modo Præcipiti durus ſtetit aggere Miles;
Quaque ſub adverſo radiarunt Sole cohortes,

Nunc Vites Tyrium ducunt e Sole colorem;
Et juga Bacchus habet, Genialis Conſitor uvæ;
Nunc juga Bacchus habet, Genialis turba, Poëtæ,
Linquite Virgineos latices, & Somnia vana,
Aonidaſque Deas; nunc Orgia ducite Baccho;
Quiſque ô Nectarei pleno jam Numinis hauſtu
Provocet ingenium; jam quiſque inflatus Iäccho
Turgentes repleat generoſo carmine venas.
Sævi qui Martis flamma propiore caleſcit,
Dicat Sanguineo torrentem Vortice Rhenum,
Sulphureas nubes, atque arva natantia tabo;
Diſruptoſque enarret hiulco Volnere muros:
Te Pacis, te Virgo canit Thymbræa potentem,
Heroum cœtus moderantem, Magne Sacerdos,
Comptum inter Galeas ramo frondentis Olivæ:
Stant circum (quales, umbrarum turba ſilentûm
Alcæum plectro prona bibit aure ſonantem)
Dulcia te Pacis, te Belli dura canentem:
Felix ardentes animos Facundia mulcet;
Fruſtra Germanus centenas objicit Arces,
Fruſtra centimanus crepitantia concutit arma;
Suadent os ſacrum, Pietaſque potentior armis.
Quin properes, Venerande Pater, lenire tuorum
Vulnera, & infenſas dulci medicamine mentes;
Illa Ducum poterant iras mulcere feroces,
Illa ligent Fratres, quos Infula ſacra ligavit,
Reſtinguantque faces, quas non accenderat Ara;
Vidimus inſano miſceri Templa tumultu,
Bellanteſque Togas, & Roſtra minantia Roſtris:
Pellere Lingua potens Martis furiale Venenum,
Vipereum e ſacro deducat Pectore virus:
Te prenſante, olim veluti prenſante Propheta,
Letiferas vires mutabit Sibilus anguis,
(Nec jam mirifica ſub Dextra ſibilus anguis)
Germine floreſcens fietque ex aſpide virga.

Guil. Shirley, Aul. Pemb. Alumn.

שד פשוט ומרבע

צהלו נא כל ישבי ארץ
כי בא לנו גוד פרץ
הנה שלום משמים
נשא מרפא בכנפים
שברו חרב שברו חצים
כי צרינו כל מפצים
לא קול מלחמת עוד לנו
שד ושבר בחמותינו
לא יבכו עוד אבות בנים
לא תשד האש העדים
על כן שבחו מלכנו
אשר צור ומגדל לנו
אשר שמחה לעינינו
דיה ורוח לאפינו
אשר בעלת גבורה
שיש לה שבט ותורה
הו מלכת בצדק כסאך
חסד ואמת לפנך
לכן יהיה לך רב שנים
וקרן תרום על אמים
מזה שם הנכבד תרום
יקרא לך מלכת שלום

Aug. Bryan, A. B. Coll. Trin.

INNEXOS poſt mille dolos cauſaſque morandi,
Multa dolens, & multa fremens, & multa minatus
Tandem Threicias abiit Gradivus ad Oras;
Pone trahens Comites ſibi Terroremque, Fugamque,
Cædemque, Horribilemque Famem, diramque Rapinam,
Pauperiem pannoſam, & edax in tempore Fœnus.
In quorum ſubiere locum Præſignis Oliva
Paxque, Saluſque, & agens molles Cytherea Choreas
Cum Nymphis innexa manus, ridenſque Cupido,
Et tandem caput attollens, frontemque ſerenans,
Cana Fides; pleno ſequitur poſt Copia cornu,
Et Jocus & Riſus: Rerum pulcherrimus ordo!
Fortunæque vices gratæ! Quacunque vagantur,
Seque ferunt oculi, placidiſſima paſcit Imago.
Ecce coronatis fulgens invecta Quadrigis
ANNA triumphales agitat per compita currus,
Et Divûm delubra petit: longo ordine Patres,
Eximiique duces ſtipant; & cærula Cæli

Illu-

Illuſtrant fulgore novo; Clangore Tubarum
It ſonus: impulſæ referunt ad ſidera turres.
Non aliter, gremio centum complexa Nepotes,
Centum Cælicolas, Phrygias turrita per Urbes
Invehitur curru, ſpumantiaque ora Leonum,
Flectit agens Cybele: pulſant crepitantia circum
Cymbala Curetes: reſonat tinnitibus Æther:
Dum tacitum matris pertentant gaudia pectus.
Undique conveniunt Populi, ſtudioque videndi
Aereaſque domos ſcandunt & tecta coronant;
Turba gravis! gemit impoſito ſub pondere moles.
Tum videas ſpectare Nurus, teneraſque Puellas,
Ardenteſque oculis, & honeſta veſte decoras.
Spectantes pariter gaudent, & gaudia præbent.
Hinc acies ah! verte tuas, Ignare Viator,
Lumina luminibus nec mittere cominus aude,
Neſcis, Infelix! neſcis, tibi quanta Ruina
Immineat; flebis ſero immiſerabilis ignem.
Conſulit adſtantem Nutricem neſcia Virgo,
Quis Dux ille, procul rutilis qui fulget in armis?
Quos Hoſtes domuit? Qua geſſit prœlia parte?
Quos oſtentat Avos? Oculi quam dulce minantur?
Paulatim, dum ſpectat, amat, perituraque ridet,
Et nequit expleri, magis ardeſcitque videndo.
Aſt aliquis Puer imbellis metuenſque pericli
Signa Britanna videns, placidis fluitantia ventis,
Attonitus refugit viſu, veroſque Leones
Eſſe putat, matriſque libens ſe condit in Ulnis.
Immemor annorum exultat longæva ſenectus,
Et temnens exacta, colos & ſtamina Parcæ
Hunc gaudet neviſſe Diem: Vox omnibus una eſt,
Vivat, Io, Regina diu, fruitura triumphis.
Factioque ipſa ſilet, nec, quod reprehendere poſſit,
Invenit; invitæ tacitis vox faucibus Hæret.
Sic cum, deſcendens triſtes Acherontis ad Undas,
Orphëus amiſſum Cithara lenibat amorem,
Infernæ ſtupuere domus, pœnaſque remiſit
Tartarus immitis; non Tantalus ore fugaces
Captavit deluſus aquas; non viſcera carpſit
Vultur edax Tityi, flagris nec ſæva Megæra
Horrendum inſonuit: tenuit tria Cerberus ora.
Parte alia videas pendentia carbaſa nautas

Con-

Convertiſſe domum, terræque advertere proras.
Ecce laborantes venti molimine magno
Velivolas puppes & caſtra natantia ponto
Vix lente impellunt, quantumvis impiger Eurus
Curvaritque ſinus, vireſque intenderit omnes.
India in Albionem vehitur; totuſque Potoſus!
Flavus arundineum Thameſis caput exſerit undis
Immenſas miratus opes, gazamque natantem;
Et dura ſub mole gemens, non eſſe ferendo
Seſe oneri exclamat, fluctuque reconditur imo.
At Ruris quam dulcis Honos! ut vincta coronis
Incedit formoſa Ceres! ut florea Chlorin
Serta decent, plenumque gerit Pomona Caniſtrum!
Quam leviter volitant Nymphæ ſaltando per herbas,
Impediuntque orbes, texuntque in gramine gyros!
Quas procul obſervans Faunus pater, ardet, & optat,
Quamque optat, ſequitur: Petulans fugit illa ſequacem
Et quærit latebras; ſed vult male tecta videri.
Interea ſpectant læti, plauduntque Coloni.
Tantas inter opes, & tot ſolatia Vitæ,
Quis furor, O cives, ipſos concurrere iniquis
Inter vos odiis, &, cum ſint arma repoſta,
Armatos retinere animos? Deponite tandem
Seditionis opus. Per mutua vulnera caram
Quid Patriam foditis? Patriæ, quod funditur, omne
Sanguinis eſt: quicunque cadit, luit illa furorem.
Quod ſi tantus amor litis, Diſcordia tanti eſt,
Ingentes animos generoſior excitet ardor,
Utilior Civis quis, amantior audiat Hoſpes,
Quis patriæ ſtet Honos; in longum proroget ævum
Quis laudes ANNÆ, famamque ad Sidera tollat.

Tho. Rees, Coll. Regal. Alumnus.

DIFFUSA late lucida Gaudia
Orbem ſerenant; arva Britanniæ
Tranquilla rident ore læto,
Triſtitiæ nebulis remotis.
Horrendus armorum cecidit fragor,
Bellique portas clauſit aëneas
Multo ſatur Mavors cruore,
Militiæque labore fractus.

GRATULATIO

Ira cruenta vidimus æmulos
Deprœliantes pulvere fervido,
  Miſtoſque Gallos, & Britannos
    Viribus indomitis furentes.
Tandem, ANNA, fauſtis auſpiciis Tuis
Feſſæ cohortes urbibus abditæ
  Bellis quieſcunt, atque pacem
    Compoſitis venerantur armis.
Sic corruentes viribus obviis
Nubes citatæ turbinis impetu,
  Horrore diro murmurantes
    Attonitum quatiunt Olympum;
Sed cum minaces fulminis impetus
Exhauſta Nubes fundere deſinit;
  Cæli ſerenantur tumultus,
    Sole Dies meliore fulget.

T. Bedford, A. B. Aul. Pemb.

VINCENDO feſſos celebravit anhela Britannos
  Muſa diu, & fuſas Gallorum clade catervas.
Sanguine ſpumantem quoties audivimus Iſtrum?
Heroum quoties gemebunda ſtrage triumphos
Permiſtos, triſti turbataque gaudia luctu
Vidimus? at tandem ceſſant bella, horrida bella;
Pacis ut optatæ majora tropæa canamus.
Quæ non Malburius, dum fervidus intonat armis,
Annorumve decem felicia bella reportant;
Conſiliis, Harlæe, tuis, ANNÆque beato
Prendimus auſpicio, fugientia munera Pacis.
Eximios merito jam tu, digniſſime Præſul!
Et Regni, Mitræque decus, tibi poſcis honores.
Sed, Regina! tuos volventi mente Miniſtros,
Innumeræ aſſurgunt laudes, quæ carminis arctas
Deſpiciant leges, anguſtaque vincla recuſent.
Tu regis imperio populos, tibi fræna relinquunt,
Ut poſſis bello, pacique imponere morem:
Europam aſt firma dum tu, Regina! quiete
Conciliare ſtudes, & mutua fœdera jungis;
Felix, heu nimium felix! bona ſi ſua nôrit,
Internis jactata odiis Brittannia fervet;

Dulcem

Dulcem inter pacem fremit arma; furenſque minatur
Viſceribus propriis invicta recondere tela.
Sed poſt tot gentes æterna in fœdera miſſas
Nutibus, ANNA! tuis, juſſiſque; domeſtica tandem
Jurgia compeſcas, indignaque murmura ſedes.
Sic ſolio felix ſtabilita ſedebis avito,
Laudibus Europæ, ſtudiiſque ornata tuorum.
Et cum ſera dies (veniat quæ ſerius) ANNAM
Nativo revocet cælo, & conjungat Avorum
Felici numero; meritis pro talibus æquum
Accipiat pretium, cæleſti Pace beata.

Gul. Somner, C. C. C. Alumn.

OBSEQUIOSA Jovi, Vultum Natura Serenat,
Prœlia cum Venti compoſuere polo:
Compoſitis bellis, Tu, Factio ſævior armis
Des ANNÆ facili colla premenda jugo;
Te regat illa manus, quæ Gallica contudit arma,
Quæ regit Europam, te regat illa manus;
Illa manus; velut Haſta potens, quæ vulnera ſanat;
Pacatuſque Orbis vim medicantis amat.
Claſſica, quæ nimio perfuſa cruore tropæa
Cantabant, placido dulcius ore ſonant.
Dulcius ore ſonent, commixtaque vocibus altis
Carmen Iô repetant, Pax venit, ANNA, jubet:
Sat Cædi, Ducibuſque datum: Victoria major
Pace venit; belli vincitur ipſe Deus.
ANNA ſedet Gentes librans Moderamine juſto,
Arbitra quæ bellis, Arbitra pace ſedet.
O ſervet duplices Armorum & Pacis honores,
Laurigerumque caput mitis Oliva tegat!
Sic Dea Bellatrix pacali fronde refulget,
Diſſimilemque vicem præſtat honore pari.

Benj. Willſon, A. M. Coll. Regal. Soc.

GRATULATIO

JAM Cereri falces, aut Arma Diania cudet,
Non Marti Gladios, non bellica tela Pyracmon;
Armis non opus eſt: ceſſit Gradivus Arena
Flandriaca, Paphiamque petens jam mitior Urbem,
Horrentes Veneris demittit ad Oſcula Criſtas;
Inque Deæ Gremium ponens fera colla reclinis
Otia dat terris; Gratiſſima dona, Britannis
Exoptata diu; At Celebrentur nulla per urbes
Artis Lemniacæ ſpectacula, qualia ſumptu
Immodico, Pompaque ingenti ſæpe parata
Novimus; ignitos jam flamma imitata Dracones,
Quæve alia ludens ſub Imagine paſcit hiante
Rictu ſpectantem Populum, terretque Rotatu
Ignivomo, Gyriſque ſuis per inane, faceſſat.
At vos ob reducem vultis qui Gaudia pacem
Debita teſtari, ſatis eſt, pro more vetuſto
Feſtivas (nimios nec enim Dea poſcit Honores;)
Accumulare Pyras; non illos Arbor ad Ignes
Ulla Cadat; tua, Faune, tibi ſtet tuta voluptas,
Stet vobis, Dryades; nil Quercu Ruris Honore,
Fago nil opus eſt Silvas ſpoliare, nec Orno,
Nil Volucrum violare domos; bene ſufficit amplus
His flammis alibi fomes ſolennibus. Arma,
Arma huc ferte, viri, longo quæ Militis uſu,
Multa Cæde calent, taboque madentia ſordent,
Huc ferte, inque ſtruem ſurgant congeſta; Comantes
Huc Galeas, Clypeos, Saga, Baltea, & huc genus omne
Bombardas, Glandes, Lituos, cava Tympana, Cultu
Cum reliquo Martis, totum quem dicere Muſam
Haud penes eſt; quid plura? gravis Belli atque nefandi
His pereat flammis tota execranda ſupellex.
His magis aucta ſtrues ſurgat; Cumuloque Batavûm
Audax accedat Monitus, quo Belgia Rebus
Se nimium noſtris immiſcuit; addite fœtos
Seditione, probris, & multo felle tumentes
Tradendi quos, Cadme, tibi evomuere, Libellos.
Adduntur. Rogus ardet: Iö! crepitantia fumant
Arma; hæc in Cineres abeunt, hæc Igne liqueſcunt,
Cuncta ſimul pereunt: circum & memorabile Buſtum
Ecce! Dearum aſtant cantantum dulce, Corona,
(Pax, Themis, Alma Salus, Charites, Muſæque,) Choreas

Dant

Dant agili pede, dum ſinuoſis fluctuat Aer
Vorticibus fumorum, ardentemque æthera complet
Ludens flamma Pyræ; Cui, Pax, tibi, Diva, dicatæ
Quicquam eſt ſurripuiſſe nefas, quicunque vel unam
Haſtæ particulam, furabitur inde, minutaſve
Enſis Relliquias, Chalybiſve aurive liquati
Fruſtula, quæ (tanti ut veniant oblivia Belli)
Omnia debuerant flammis periiſſe; profanus,
Furti vindicibus populo pueriſque, frequenti
Saxorum jactu pereat, ſub mole ſepultus
Infami, & Cautos dent hæc monumenta Nepotes.

R. M. Aul. Pemb. quondam Alumnus.

Si tantum Pax Ipſa juvat poſt tædia Belli,
Quo magis Auctorem Pacis habere juvat?
En igitur, lapſis cui fas ſuccurrere rebus,
Et Populis unam ferre duobus opem!
En ANNAM, Belli vicibus quæ feſſa, quietem
Ut Patriæ tribuat, negligit Ipſa ſuam!
O ſcelus! an tantum licuit furialibus armis,
Has etiam placidas poſſe movere manus?
Jam tamen abſiſtit, miſera ne morte Nocentum
Se nimis ulciſcens, ſit magis Ipſa Nocens.
Negligit & nimios laurus Victricis honores,
Ne fieret Populi fœda cruore ſui.
Nempe quid Ille velit, Vanos qui ad Martis honores
Intima per Patriæ viſcera tendit iter?
Anne parum viciſſe putat, niſi ſanguine vincat?
Et, niſi per mortem, nulla paranda ſalus?
Ah, ſuperi fruſtra dederint egiſſe triumphos,
Ni tandem dederint ſic potuiſſe Frui.
Pax etenim ſola Victorem laude coronat,
Quæ major, nullo ſanguine parta, venit.
Ut, Marte exacto repetit ſua munera Pallas!
Ut melior Lauros inter Oliva Nitet!
Jam lenti reparare licet diſpendia belli,
Quamque hoſti dedimus, poſſe ſaluti frui.
Gallia non iterum fera nos ad bella laceſſet,
Non iterum, toties victa, rebellis erit.
At Vires ſæpe, ANNA, tuas experta quieſcet,
Et, ne ſerva foret, fiet Amica tibi.

Car. Willats, Coll. Regal. Alumnus.

GRATULATIO

Παρωδία πρὸς κρέσσονά τινα ποιητὴν εἰς τὴν εἰρηνογραφίαν προτρεπτική.

ΠΙΝΔΑΡΟΥ ζάλωσ' ὃς, Ἴσλε, Μοῖσαν,
Ἄπλεον κήρωμ' ὄγε κινδυνεύει
Δαιδάλω πάλλων κυανῇ ἠΐσειν
Οὔνομα δίναις.
Ὡς καταῤῥάκτης ποταμὸς κατ' ὀρέων,
Τὸν θ' ὑπερβάλλειν πέφεν ὄμβρος ὄχθας,
Ἄσσον ζεῖ, κὴ φέρει βαθύῤῥουν
Πίνδαρον ἀχών,
Φοιβάδ' ἐξάπλων κροτάφοισι δάφναν,
Εἴτε τολματὰν διθύραμβον ὄρσας,
Μέτρ' ἀμέτρως κὴ μαλ' ἀτακτα σωθεὶς,
Οἶδμα κυλίνδει
Ποικιλόῤῥων· εἴτε Θεὸς, Θεῶν τε
Αἶμ' Ἀνακτας, (τῷ ὑπὸ χέρσ' ὑδρισᾶν
Πίπλε Κενταύρων γένος, ἠδὲ τελσᾶς
Φλέγμα Χιμαίρας,)
Εἴτε τὺς γ' (ἄδδι,) ἀνέπεμψε νίκη
Ἠλέαθεν Ἀμιθέως, κέλητα,
Πυγμάχον τ' ἀντάξιον ἀνδρειάντων
Μυριοσήμων
Ὑμνέων. Διρκαῖον ὑπ' ὄρνιν ἕρπων
Πυλὺς αἰωρεῖ νεφέων ἐφ' ὕψη
Βάντα· κἠγὼ θυμὸν ἔχων Ματίνης
Οἷα μελίπλης
Ἁδὺ τευχόσης μέλι πυλυμόχθως,
Πολλάκ' ἀνθηρὸν νάπος ἀμφὶ θ' ὑγρᾶ
Χάμιδος λειμῶνας ἀοιδὸς ἔργον
Εὐτελὲς ἀσκῶ.
Πηκτίδ' ἄσεις ἀκρετέρῃ τύγ' ΑΝΝΗΝ
Κάλλεα τελσῶν ἀγαθὶω Θεάων,
Μῆτιν, Εἰρήνιω, Θερύνω ἀξίωμ', ἰδ'
Ἄρεος ἔργα.
Μεῖζον Ἧς θνητῷ φρεπτ' ἄμεινον
Ἐκ Διός γ' ὄδὲν χαείσανς Μοῖραι,

Οὐδ'

Οὐδ' ἔχοι δωτὴρ χαείσαθ' ἑάων
Χῳ πάρῳ Αἰὼν
Χρύσεος· γεάψεις τειπόθατον Ὥρων
Κύκλον, Εἰρήνης τε φαεινὸν ὄμμα,
Τῆς γ' ὐπ' εὐδίας ἐγέλασ' ἀπείρων
Πᾶσα θεὶ χθών.
Εὖδε ὡς Ἄρης χεγνίκ παλαίσεας
Ἄσμεν' ἤδη γ' αἰναρέτας· φίλη τᾷ
Πειν κόρυς λαμπρὰ, πύλεός τε Καμβρὸ
Εχθρὸν ἐς ὄμμα.
Εἰ ὁ μὴ δμηθεὶς Μεγάλας ἕκαλι
Παλλάδος, βλώθρ' ὡς κυπάειπος Εὔρις
Ἤειπεν, μαχρὰν κεφαλῆ τ' ἄραξεν
Κείμῳ Αἶαν,
Τῆς Μόνης γ' ἤπιων, (ὑπέρπλῳ ἄλλων,)
Καίπερ αἰχμητὴς, Διὸς ὲκ τε φύτλης,
Τειλόνων πύργος θερσέβαλλε μακρῷ
Ἔγχει θύων·
Ος πότ' ἀ λάθρη βαρὺς, ἀμφαδὸν ὴ
Νηπίως (οἰ! οἰ!) κατέκαυς κηλεαῖς
Φλοξὶ δηώσας, τάτ' ἄφαυστα κεδνᾶς
Ἔμβρυα μητρός·
Νδν τ' ἀρ' ἢ δίας ἐλίκεσι πειθῦς,
Ἀκέτῳ μᾶλλον βέλτ ἢ δαμασθεὶς,
Σᾦ τε Τυδείδεω περγνατὸς ἔγχτ,
(Χάλκεον ὕπνον
Ὅς κεδὸν κοιμᾶτ πάρῳ γ',) ὁδ' αὖθις
Νήγρετ' εἰρήνης τευφεραῖς ἐπ' ἀγκαῖς
Δρέψε) ὕπνων μαλακὸν ἄωθ', ὡς
Νεῖκῳ ἀπαυδῶν
Σοὶ πολυκλαίων μόλε, πομφόλυξε
Θῆλυς ἀμφοῖν δ' οἱ βλέφαρων ἐέρσα·
Ὦ γαθὴ, ὡς εἶδες, ἐπ' ὀμμάτεσσιν
Ἶζε γέλως τευ·
Εὖδε, τὼς εἶπας, ὲς ἄκεσσον ἄλγη,
Ἐννόᾳ δ' ἔμπης, σὺ κάχ' ὅσ' ἔοργας

Μυεί'

GRATULATIO

Μυεί' ἀβληχρὸς, βεβλοιγὲ, λαὸς,
Τειχεσιπλῆκτα,
Τῆς τε θρησκείας παρέωσας ἀγνῆς
Δόγμ' ἀληθές· Νδν νοεραῖς θυηλαῖς
Ἔμπυροι βωμοὶ, σέθεν ἀκέτ', Ἄρες,
Ὁπλομανῦν Θ',
Ζήλῳ ἐκκαύσω λατρεύμαθ' ἁπλῷ
Ἁγν' ἀνείδωλ'· Ἄλλα τε μυεί' ἄσεις
Χάρματ' Εἰρήνης πολύδωρα καλῆς,
Ἔργον Ἀνάστης.
Τῆμ Θ αὐδᾶς (εἴ π γ' ἀκουσὸν εἴπω,)
Σοὶ ἐμᾶς μίξῃ σόμα πυλὺς ἄχ Θ·
Ἀλίᾳ φῶς, ἢ κλυτὸν ὄμμ' ἀείσω,
Πυκν' ἐπαμείβων·
Καὶ τὺ γ' ὡς πομπεύῃ, Ἰὼ τὺ Πομπή·
Ουχ' ἅπαξ ἀσεδμες, Ἰὼ τὺ Πομπὴ,
Ἄσυ ξυμπᾶν· τῷτε βεβτῷ Ἀνακλι
Θύσομεν εὐχάς.

Phil. Bouquet, Coll. Trin. Soc.

JAM ſatis Armorum, plus quam ſatis: Horror ubique
Martius intonuit; ſtrictus deſæviit Enſis,
Cœde ſatur longa; Tempeſtas fervida Belli
Jam nimium graſſata diu. Pax alma, recurris
Blandior à Decimo veniens, & gratior anno.
O Lux Imperii! O ſemper Dea culta Britannis!
Quæ tantæ tenuere moræ? Qua jam arte reducta
Has repetis ſedes? Ut Te poſt Funera denſa,
Poſt variam ſtragem, & Belli duo Luſtra cruenti;
Lætati aſpicimus, cupidiſque amplectimur ulnis!
Nunc demum longis te ſolve, Britannia, curis,
Lætitiæ da fræna, ac tota percipe mente
Gaudia, quæ fas eſt, quæ Res & Tempora poſcunt;
Delicias agita, atque animo totum excute Martem.
Jam Lyra pro Lituo reſonet, jam Tibia dirum
Clangorem evincat; Belli cum turbo quievit,
Detonuitque fragor, feriat vox mollior aures:
Aurea Libertas ſecuras concrepet alas;

Et

Et Furiis Muſæ, & Marti ſuccedat Apollo.
Tuque, Minerva, tuo ſociante ſe Apolline, dium
Junge Chorum: ſat Te tenuerunt Flandrica Caſtra,
Sat leto, Fatiſque datum: fas condere diram
Ægida, tutamen Britonum; fas Caſſida duram
Solvere, fatiferamque Haſtam, quam Gallia ſenſit,
Ponere: nunc Divæ exemplo, Diva ipſa, Britannæ,
Pacificis da te ſtudiis; nunc Caſtra Togata,
Civileſque Artes, duræ ſolamina vitæ,
Naturamque colas: cape Tela accommoda Dextræ
Fœmineæ; cultura tuæ Te poſcit Olivæ.
Anna pios Matrum gemitus, viduaſque querelas
Audit victa animi; tanta mercede Triumphos
Non emeret, refugitque virentem Sanguine Laurum.
Illius imperiis pendent molimina Belli
Interrupta: Orbis ſed enim miſerata labantis
Subvenit Anna manu magna, fulcitque Ruinam.
Nempe ob communem cum ſumpſerit Arma ſalutem,
Non meditata ſibi Imperium, majoraque Regna;
Pro communi eadem ponit nunc Arma ſalute:
Temperat Ipſa ſuis ſucceſſibus: æquaque Lances
Dum tenet, ac juſto librans examine, Fatum
Ponderat Europæ; metatur limite certo
Cuique ſuos Fines, ſtudia ambitioſa recidens:
Nec Juga demta velit Belgæ, tranſponere Gallo.
Ecce Duces Britonum, longo de Marte reverſi,
Florentem repetunt Patriam, dulceſque Penates.
Patria, læta tuos Heroas ad æthera plauſu
Ingeminato effer, gremioque admitte patente
Vulnera cruda levans, tibi quæ peperere ſalutem:
Jure ſibi repetit, Patriæ quem præſtat, Honorem
Miles. Iõ Cives, ſolennes ducite Pompas;
Æra canora ſtrepant; &, quæ modo Prœlia diris
Sueta ciere ſonis, nunc bellica Machina lætum
Intonet, innocuoſque edat diſploſa fragores;
Spirent ſaxa viros; Monumenta perennia ſurgant
Virtutis Brittannæ, & ad aſtra operoſa Columna
Indicium ſtet Pacis: eos decernit Honores
Grata ſuis ducibus Brittannia; nec tamen Iſtis,
Si quibus ulterius, quam par ſit, Bella trahantur,
Si quibus immodicos Mars accumulavit Acervos,
Et celſæ Exuviis fulgent Caſtrenſibus Arces:

Hi ſibi, non Patriæ, pugnant: vos Præmia ſolos
Tanta manent, quos eximio Mars ſignat honore
Inſons, qui Patriæ juſto flagratis amore,
Publica qui propriis ſecernere commoda noſtis:
Teque adeo imprimis; Meritis O maxime Ductor,
Cui toties viguit pridem in Certamine duro
Dextera: Nunc fortis premere alto in Corde tumentem
Bellandi ardorem, atque innatos pectoris æſtus,
Pro noſtra Timidus patiens audire ſalute!
Te fama innocuos feret unum egiſſe Triumphos,
Summaque de Gallo ſpolia, & ſine cæde tuliſſe
Speratam, haud ullo temeratam ſanguine Pacem.
Quis procul Ille autem, Cui ſacros Infula crines
Digna premit, frondemque ſuper pacalis Olivæ
Induitur? noſco venerandi Inſignia Patris;
Briſtolenſe piis O ſemper amabile Nomen!
Hic eſt, qui Regnum Chriſti, nec ſecius ANNÆ
Promovet Imperium; Qui diſſociata revinxit
Felici nodo ſtudia, ut communiter idem
Sacra Pia, ſolerte manu Civilia tractet.
Jampridem Hic Aulas Regum notiſſimus Hoſpes
Longinquas luſtrat: Hunc ambit Purpura ſupplex,
Et magni certant ſibi conciliare Tyranni.
Huic ultro cedens Straffordius ipſe priores
Aſſurgit, tollitque Loci ſe jure ſecundi.
Salve, Auguſte Pater, Præſul ſanctiſſime, ſalve;
Magna ſuas Cui rite vices concredidit ANNA,
Arbiter ut Belli fieres, Paciſve Miniſter:
Bellum abiit, Curiſque Tuis Pax reddita terris.
At tibi pro Meritis iſtis, pro Munere tanto
Quid, venerande Pater, reddat Brittannia? Quo Te
Excipiat ſtudio? Redeas O! Patria dudum
Te deſideriis ardentibus icta repoſcit,
Et nimium nimiumque diu ſuſpirat abeſſe.
Te ſocium Harleius jampridem adjungere dignis
Conſiliis cupit, &, quas alto in pectore verſat,
Partiri Tecum Curas, & publica Fata.
Tandem redde Tuæ Dominæ Te, redde Britannis.
Aggredere O ſummos (aderit jam tempus) Honores,
Juſtaque longorum Tibi Præmia ſume Laborum.
Auſpiciis, Pater alme, Tuis Eccleſia poſthac
Fulgebit Ritu nativo ac ſimplice, Sponſo

Digna Deo: Fucum externum, inſanoſque Colores
Reſpuet indignans: Illam nec ſpuria Proles,
Sordida Sacra colens, turpi fœdabit Honore;
Nec Romana ſuperſtitio, ſtudioſa novorum,
Inferet ignotos Cultus, Rituſque pudendos.
At vos Defunctorum Umbræ, Brittannia per quos
Otia agit, patriis qui procubuiſtis in armis,
Atque animas pulchra pro Libertate dediſtis:
Si quis ineſt Umbræ ſenſus, cinerique ſepulto,
Hoc & vos Manes ſolatî ferte ſub imos,
Cernere, Quos Veſtræ Virtutis Patria Fructus
Percipit; inque ipſis (ſi fas) gaudete ſepulchris!
Nec vero interea quos Muſa rependit, Honores
Temnite, pallentes Lauros, atraſque Cupreſſos,
Quæque audent Lacrymæ feſtos turbare Triumphos,
Atque importuno caſtigant Gaudia luctu!
O Jane! O medius Qui Belli & Pacis, honore
Effulges duplici, bino Qui Munere polles:
Aſpice, ſuſpenſis animis tua ut Atria circum
Sollicitent, ſciſſi ſtudia in diverſa, Britanni:
Sint licet, æternum tua Limina, Dive, patere
Qui cupiunt, & Bella trahi, gaudentque cruentis:
Tu tamen, attrito miſere, jam mitior Orbi,
Mitior O! ne tam crudelibus annue Votis:
Aſt ANNÆ imperiis victus, precibuſque Bonorum,
Fatales jam claude Fores, atque obice firmo
Emuni, diros iterum ne Cardine moto
Emittant tonitrus, iterum furialis Enyo
Prorumpens cieat Gentes, ut, fœdere rupto,
Europæ ſtabilem tentent turbare Quietem.
Tuque adeo, externo, Brittannia, Marte ſoluta
Comprime & internos Motus, ac Civica Bella.
Mitte aliquando leves Rixas, dubioſque Timores:
Nil erit a ſuppos'to, ANNA regnante, Jacobo
Quod trepides: Illi Ludovicus, fœdere Nobis
Aſtrictus, Nervos, falſi munimina Sceptri,
Subducit; patuere Doli, Fraudeſque paratæ.
Inſano liceat Juveni indulgere furori
Innocuo; liceat ferre imperioſa Britannis
Edicta; & Regni ludicram computet Æram,
Fictitius Princeps: vana ſe jactet in Aula
Majeſtate tumens aliena, Errore fruatur;

Sceptra

GRATULATIO

Sceptra modo HANNOVIÆ Genti Brittanna relinquat.
At tu, ſumme Pater, Cujus Concordia munus,
Et ſocialis Amor, fraternaque Gratia; Serves,
Æternum O ſerves Pacem, Paciſque Miniſtros!
O tandem Britonum corda exagitata reſidant
E tumidis Odiis; animique flagrantibus iris
Vexati, æterna compoſti Pace quieſcant!

Gulielm. Crow, Aul. Trin. Alum.

SAT Furiis Martique datum eſt. Pax alma reviſit
Terras, & Britonum Regna ſerenat Ovans.
At quid, Turba procax? Quid agis, Fanatica Turba?
Quid pergis vanos uſque ciere Metus?
Cuivis jure licet Bella, horrida Bella timere;
At Quid Pace minus terribile eſſe poteſt?

Guil. Godolphin Armiger, Aul. Pemb.
Socio Commenſalis.

ANNA *Victrix Pacifica*

PACE beat, juſto quem bello perculit Orbem;
Lauſque, laborque foret vel domuiſſe minor.

Johan. Chetwood, Coll. Div. Johan. Soc. Commenſ.

שיר פשוט ומרבע

גילו שמחה כל האמים
שירו עמי שיר השירים
איש איש בחדיה הריעו
בשופר ובחפים תקעו
שועו גבננים ההרים
זמרת המשוש הרנינים
עלזו הרמים שמים
גם פצחי הארץ רנים
כי חדל ההמון מלחמות
גם רחקה זעקת הריבות
נגה אור מאפל לנו
מצלמות צוהר בנו
שלום גם שלוה פרחו
קדש גם חסד זרחו
נפעו הששון גם עדנה
נשקו הצדק ואמונה
לא עוד תרוה ככר ארץ
מדם כפלגי הפרץ
כי אם תחת הגפננו
נשב לבטח כלנו
אשרינו הרואים שלום
אשרינו באת כל יום יום
על כן המלחה בשירות
נשבח יחד גם בתודות
מיום ויום נהדרנה
גם כל בכוח נכבדנה
העשתה השלום לנו
הנתנה נוח מצרינו
הלוך גם גדול חלך היא
ומאד ומאד לעשות תפליא
השבט מכפה יציץ
הנזר על ראשה ינץ
גם רב ימים על ימיה
הוסיף האל לחייה
אכן כפקוד המות לה
וברדת גוה לשאולה
שא נא הנפשה שמימה
גם כדה לנו באדמה
תמלוך שמה עם מלאכים
ויהי כסאה עד עולמים

Jo. Wake, Coll. Jeſ. Alumn.

Ad

Ad Excellentiſſimum Virum MATTHÆUM PRIOR *ad Galliarum Regem de Pace Legatum.*

PAULUM ſeveris Muſa negotiis
Si te vacantem læta beaverit;
Juvabit & plectro loquaci
Sollicitam explicuiſſe frontem:
Adſis, Britannæ dulce decus Lyræ,
Contende chordas, grande parans melos,
Quoſque ANNA, Te curante, juſſit,
Carminibus decores Triumphos.
Dicenda ſeris Bella nepotibus;
Dicenda Pacis major Adorea;
Tutata quos, quos fregit armis
Perpetua fovet ANNA Pace;
Natos in uſum lætitiæ modos
Tu dulcè fundis, prœlia Tu potes
Pugnata, & Hoſtes, grande munus!
Dicere compedibus revinctos.
At Te vetabit ſi Patriæ ſalus
His occupari, ô candidus accipe
Hæc, noſtra, quæ deducta, luſit
Muſa modos imitata Horatî.

DEſcende Cælo Diva potens Lyræ,
ANNÆque, gratum munus, amabiles
Cantus recenſens, tange ſacros
Calliope numeroſa nervos:
Non, ſi decoris Tempora laureis
Victricis ornans, evehis ad Deos,
Et Pacis, ANNÆ dona, lætas
Diva neges memorare Olivas.
Nec, cuncta luſtrans, Sol quia videris
Nil *Majus* ANNA cum Britonas vocat
Ad arma, Eâdem, Pace quidquam
Phœbe pater *Melius* videres:
Quin nec videbis, jam revocas licet
Luces beatas, jam nova ſæcula,
Tenente terras ANNA, in aurum
Incipiunt properare priſcum.

GRATULATIO

Gratum elocuta eſt concilio Patrum
Regina, Belli longa gemens mala;
Aſtræa quali luctuoſas
Flevit amabilis ore Terras:
" Quæ non Triumphos, cæde, Britannicos
" Teſtata, dixit, flumina? quod Mare
" Utroque decurrens ab Axe,
" Quæ caret ora cruore fuſo?
" Et Te ſuperbas dedocuit minas
" Britanna Virtus, cedis & impotens
" Tellure inulta, oſus vocari
" Heſperiæ, Lodoix, Tyrannus.
" Quin & remoti edicta Britannica
" Diſcunt volentes æquoris Accolæ;
" Reſignat & Calpe Britanno
" Imperio Herculeos labores:
" Sit iſta noſtris meta laboribus,
" Bellum reſidat—donec Iber ſuis
" Galluſque præſcriptis teneri
" Finibus, imperioque norint.
" At ter, ſi iniquam Gallus Iberiam
" Superbus ambit, ter pereat meis
" Victus Britannis, Fata plorans
" Creſſiaci renovata Campi.
Sic fata, ferrum triſte recondidit
Regina terrarum & pelagi potens;
Labantis Europæ nefandam
Una potens prohibere cladem.
At ô, quis æquo carmine Maxima
Æternitati Nomina conſecret?
Harlæe, quæ Te audax, Tuumque
Muſa Bolinbrocium loquatur?
Quamvis Britannæ dum vigil excubas
Cuſtos ſalutis, munera dum paras
Optata Pacis, ſcis merendo
Dulciſonas animare chordas.
Tu temperando, rebus in arduis,
Fatalis Orbi debitus Arbiter,
Rerum Sub alto fluctuantûm
Pondere non dubius fatiſcis.
En! & Mitratam Caniciem procul
Cerno, & decoræ fulgura Purpuræ!

En Præſulis noſco verendi
Paciferæ, ſacra dona, dextræ!
Nempe, ANNA, ſolers Hunc Pietas Tua
Pacandi habenis imperii admovet,
Rerum ut ſagaci uſu, piiſque
Ut precibus modereris Orbem.
Oblivioſo, Muſa, ſilentio
Wentworthianam ne taceas Domum;
O nomen æternùm colendum
Per titulos memoreſque faſtos!
Nec, ſigna noſtro dum Capitolio
Miranda ſtabunt Hoſtica, dum fluunt
Et Scaldis, & Moſa, & perennant
Ramelii, Hocſtatiique campi,
Juſtis carebis, Malbure, laudibus,
Gallos tremendus ſeu miſeros fugas,
Seu mox triumphandum rebelles
Te Bavari revocant ad Iſtrum.
Ormonde feſſum, Maxime, quo rapis?
De Marte victo, Dux bone, Patriæ,
Dum fidus ANNÆ juſſa Servas,
Exoritur potior Triumphus.
Hinc Muſa ſacro Te inſereret Choro,
Priore, Noſtri gloria; nec Tuum,
Talbotte, quem penna ſuperſtes
Fama vehet metuente ſolvi,
Nomen taceret; Vos modo candidi
Quæ Muſa donat, ſumite gaudia;
Miſcebitis mox conſiliîque
Ardua, dividuaſque curas.

Hos egit axe Gloria fulgido,
Mori negatos; Hos, ubi publicas
Res ordinaris, Magne Vates,
Concine Nobiliore plectro.

Chriſtoph. Anſtey, S. T. B.
Coll. Div. Joh. Soc.

FINIS.